



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Thomae Młodzianowski, Polonie, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Metaphysica, Logica, Octo Libris Physicorum, Generatione, Corruptione
Et Anima

Młodzianowski, Tomasz
Moguntiae Et Dantisci, 1682

Disputatio IV. De Vniversalibus in particulari.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95667](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95667)

DICES 4. Prædicari de alio nihil aliud est, quam unire prædicatum cum subiecto, atque ita uniendo prædicatum universale, subiecto particulari, unirentur plures naturæ, quod est absurdum.

RESPONDETUR. Cum per nos universale, non sint plures naturæ, uniri illud particulari, non est uniri plures naturas.

DICES 5. Universale nihil aliud est per nos, nisi natura abstracta à differentiis; illic prædicatur talis natura, ergo prædicatur universale.

RESPONDETUR. Concedend. totum, non nego enim, specificativè acceptum universale prædicari, sed nego prædicari quâ universale reduplicativè acceptum.

INSTABIS. Si universale quâ universale non prædicatur, non esset universale prædicabile, tanquam universale, sed hoc est absurdum, quia passio universalis, non esset prædicabilitas.

RESPONDETUR. Passio, universalis est prædicabilitas, sed non est passio, prædicabilitas, quâ universale est.



DISPUTATIO IV.

De Universalibus in particulari.

Porphyrus Apostata scripsit introductionem in Philosophiam, quæ continet cognitionem Universalium in particulari, de quibus sit

QUESTIO I.

De Numero Prædicabilium.

Numerantur ordinariè quinque Universalia, Genus, Species, Differentia, Proprium & Accidens.

DICENDUM 1. Si velis *Ly prædicabile*, impossibile esse nonnisi ad significanda prædicata essentialia & quidditativa, duo tantum sunt prædicabilia, hoc est genus, & species.

PROBATUR 1. Quia nonnisi per genus & speciem respondetur ad interrogationem quid est? prædicata autem quidditativa ista dicuntur quibus satisficit interrogationi, quid est? & ita si quærat quid est Petrus? & respondeatur est animal, erit responsio per prædicatum quidditativum; hoc est per genus; quod si iterum quærat, quid est Petrus? & respondeatur homo, erit responsio per prædicatum quidditativum hoc est per speciem.

PROBATUR 2. Quia per *ly Quid*, intelligitur id cui advenire intelliguntur reliqua: jam autem generi advenit differentia, & speciei, advenit accidens & proprium.

PROBATUR 3. Quia non potest ostendi, cui nam conveniat, Quid, aut cui convenire possit præter Genus & Differentiam?

DICENDUM est 2. Hoc nomen *Prædicabile*, non est impositum ad significanda sola prædicata quidditativa.

PROBATUR 1. Quia in quæstione de voce, cum pluribus loquendum; communis autem sententia *ly prædicabile*, non ad sola quidditativa prædicata restringit.

PROBATUR 2. Ideo Genus & Species sunt universalia prædicabilia, quia ab inferioribus per actum præscindendum vel confusum abstrahi possunt, sed idem fieri potest cum Differentia, Proprio, Accidente. Ergo & hæc possunt esse universalia Prædicabilia.

PROBATUR 3. Quia nulla necessitas est restringendi nomen hoc Prædicabile, nonnisi ad prædicata quidditativa; sicut nulla est necessitas restringendi nomen Animal nonnisi ad hominem.

DICENDUM est 3. Hoc nomen *Prædicabile*, impositum esse ad significanda tam Prædicata quidditativa, quam ad Prædicata in Quale, consequenter quinque esse Prædicabilia.

PROBATI solet 1. Omne quod dicitur de alio, vel dicitur in Quid, vel in Quale; si in Quid, tunc dicitur vel in Quid de pluribus differentiis specie & numero, & sic est Genus; vel de pluribus differentiis numero & sic est Species; si autem dicitur in Quale, vel dicitur in Quale essentiali, & sic est Differentia; vel in Quale convertibile, & sic est Proprium; vel in Quale non convertibile, & sic est Accidens.

PROBAT 2. Suarez. Quidquid est in multis, vel est in illis tanquam aliquid essentiali, vel tanquam aliquid accidentali; si est tanquam essentiali, habetque se per modum partis materialis, & illud erit Genus; si verò se habet tanquam pars determinans, erit Differentia; si autem tanquam totum essentiali erit Species. Porro quod inest accidentaliter pluribus, vel est

rale

tale quod necessario ab essentia promanat, & erit Proprium; vel est quod ab extrinseco provenit, estque ipsum extrinsecum, & hoc est Accidens. Idem sic proponi potest: quidquid prædicatur de alio vel prædicatur in Quid, vel in Quale, si prædicatur in Quid tanquam tota essentia, hoc erit species; si prædicatur in Quid, tanquam pars materialis, hoc erit Genus; quod si prædicatur in Quale, vel prædicabitur in Quale essentiale, & erit Differentia; vel in Quale necessario fluens ab essentia, & erit Proprium; vel in Quale ab extrinseco, & hoc erit Accidens.

RESPONDEBIS 1. ex Aversa. etiam speciem esse partem materiale; nam ab hæcceitatibus determinatur; Ergo non rectè sequitur, Genus à specie distingui, quia Genus habet se per modum partis materialis.

CONTRA est: quia hic agitur de Determinativo faciente specie differre, quod non faciunt individuationes. Hinc à posteriori, non esse prædicatum Quidditativum hæcceitates, vel exinde colligitur; si enim quæretur, quid est homo? bene ad interrogationem Quid: respondetur, per prædicatum quidditativum, est animal: ad interrogationem autem, Quis est hic homo? non respondetur per animal, sed est Petrus, Paulus &c. ubi ut vides, per Petrum, non respondetur ad interrogationem Quid est? sed ad interrogationem Quis est?

RESPONDEBIS 2. Etiam Differentiam esse partem materiale; est enim v.g. animatum determinabile per rationale; item Differentia Generica, cum Genere subalterno, est eadem entitativè, si ergo Genus subalternum contrahetur, contrahi debet & ipsa Differentia.

CONTRA est. Concedo quod Differentia, in quantum est ulterius perfectibilis, transeat in conditionem Generis subalterni, nec sic sumitur quando prædicatur ut Differentia, sed sumitur, quâ facit differre.

RESPONDEBIS 3. cum Arriaga. Proprium & Accidens solum differre materialiter; quia differunt solum necessitate & contingentia, quæ differentia non spectant ad Logicam.

CONTRA est; non tantum esse hic differentiam, secundum necessitatem & contingentiam; sed etiam esse differentiam ex modo prædicandi essentialiter, quomodo prædicatur Proprium; & ex modo prædicandi contingentiter, sicut prædicatur Accidens. Quod autem hi modi prædicandi differant, colligit ex eo Oviado, quia si essentialiter differunt necessarium & contingens, differunt etiam modi prædicandi; & si ratio partis materialis & formalis, distinguit prædicabile Generis & Differentiæ, distinguere etiam poterit, ratio necessarij & contingentis.

PROBATUR 3. Quia ex quinque enumeratis, nullum est quod deficiat in formalitate prædicabilis, quod enim? ex altera parte nulla osten-

di poterit ratio, præter adlatas, cui competat esse universale prædicabile.

Rationes pro Prædicabilium numero minuendo.

OBJICIT 1. P. Venceslaus Darowski. Tantum sunt duo prædicabilia per modum superioris de inferiori. Ergo tantum duo universalia. Antecedens probatur. Quidquid prædicatur per modum superioris, vel de pluribus specie prædicatur, & erit Genus; vel de pluribus numero, & erit Species.

RESPONDETUR. Neg. Anteced. Probatio ostendit, quod ea quæ prædicantur in Quid, & tanquam aliquid essentiale, sint nonnisi duo: sed non ait de Prædicabilibus in Quale.

OBJICIT 2. Differentiam, non est necesse prædicari de pluribus inferioribus; nam supposito, quod Angeli omnes sint immultiplicabiles numero, habebunt differentiam, & tamen illa de pluribus dici non poterit. Risibile item, respectu hominis ut sic, est Proprium, & tamen de illo non prædicatur, ut superius; denique Accidens ut Accidens, non poscit nisi abesse & adesse, prædicari autem, illi non magis convenit, quam substantiæ, quæ tamen non ponitur pro sexto prædicabili.

RESPONDETUR. Si Angeli sint immultiplicabiles numero, differentia uniuscujusque prædicabitur de illo, sed non tanquam quid universale: Risibile item quamvis non prædicetur tanquam quid universale, de homine ut sic, habet tamen alia sua inferiora, de quibus prædicatur tanquam quid universale. Accidens item physice spectatum, poscit nonnisi abesse vel adesse, sed Logicè spectatum, poscit prædicari.

OBJICIT 3. Tot sunt universalia, quot unitates univocæ, unientes plura univocata; hæc tantum duæ, quia & oppositæ eis pluralitates tantum sunt duæ, nempe pluralitas invehens solum numericam alietatem, vel pluralitas invehens etiam specificam differentiam.

RESPONDETUR. Tot sunt universalia quot unitates univocæ, non tantum essentialiter & in Quid prædicabiles, sed etiam prædicabiles accidentaliter, vel in quale, hæc autem sunt plures.

OBJICIT 4. Potest revocari ad Genus generalissimum, Genus subalternum; Ergo & species infima, poterit revocari ad speciem subalternam; sed species subalterna constituit idem prædicabile cum Genere, Ergo & species infima.

RESPONDETUR. Disparitatem esse, quia tam Genus subalternum, respectu Generis generalissimi, quam Species subalterna, respectu Generis, eundem modum prædicandi habent; nec mirum est, si ad se revocentur: omnia enim hæc dicuntur in Quid, & exprimunt partem materiale; jam verò species infima, non habet eundem modum prædicandi cum Genere; di-

citur

citur enim Species, in Quid totale, non dicitur Genus; si non dicitur Genus in Quid totale, non poterit ad illud revocari Species, quæ dicitur in Quid totale.

INSTABIS. Ergo saltem cum Genus & Differentia contineantur in Specie, non constituent ab illa diversum Prædicabile.

RESPONDETUR. Genus & Differentia continentur in Specie, non in Genere Prædicabilis, sed tanquam partes in toto, si autem non continentur Genus & Differentia in Specie, in ratione seu modo Prædicabilitatis, poterunt adhuc constituere diversum Prædicabile.

OBJICITUR 5. Omne Accidens, vel est Genus, vel Species; Ergo inutiliter ponuntur quinque Prædicabilia.

RESPONDETUR. Accidens esse Genus vel speciem, respectu priorum inferiorum; & ita Accidens, est Genus ad albedinem, nigredinem; Albedo autem est species; sed si comparentur ad subiecta, v.g. ad lignum, aquam, pomum &c. quibus subiectis insunt accidentia, respectu eorum accidens, non est Genus, neque Species, sed formalissimè Accidens.

OBJICITUR 6. Potest hæc tota divisio ad bimbrem reduci, ut si dicatur Prædicabile, aliud est essentialiter, aliud accidentaliter.

RESPONDETUR. Si tradita fuisset divisio, per solas rationes generales & immediatas, ita universale dividi debuisset ut vult obiectio; sed hæc agitur non solum de divisione prædicabilium immediata, sed de divisione absoluta prædicabilium; divisio est mediata nihilominus talis, ut non sint plura, præter hæc Prædicabilia.

OBJICITUR 7. Auctoritas Aristotelis.

1. AUCTORITAS est ex 1. Top. cap. 4. Ubi Aristot. numerat tantum quatuor Prædicabilia.

RESPONDETUR. Aristotelem ibi numerare hæc prædicabilia, quæ solent adhiberi in Problematis; Hoc est Genus, Proprium, Accidens, & Differentiam, quam ibi nomine Termini intelligit, Speciem omittit, quia illa in Problemate subiecti ut plurimum locum habet.

2. AUCTORITAS est ex cap. 2. de Antepædicamentis. Ubi Ens universale, dicit Prædicabile in Quid, Prædicabile autem in Quid, non est nisi Genus & Species.

RESPONDETUR. Aristoteles ibi accipit ens universale, pro eo quod ponitur in recta linea prædicamentali; hoc autem concedo, non esse nisi, Genus & Speciem, cum Differentia ad latera ponantur.

3. AUCTORITAS est ex cap. de Substantia, ubi tria tantum prædicata univoca, adeoque universalis agnoscit.

RESPONDETUR. Aristot. illic agere de univocis essentialibus, quæ sunt tria Genus, Differentia, Species.

Est & alia quasi negativa Auctoritas. Quia tot sunt Prædicabilia universaliter, quot sunt ea,

quæ Aristoteles opposuit idæis Platoniciis: his autem opposuit non nisi Genus & Speciem.

RESPONDETUR. Negando quod ea solum sunt universalis, quæ opposuit idæis Platoniciis Aristot. nec erat necesse ut opponeret plura; quia frustra fit per plura, quod potest fieri per pauciora.

Rationes pro pluralitate Prædicabilium.

OBJICITUR 1. Prædicamenta sunt decem, Ergo & Prædicabilia.

RESPONDETUR. Disparitatem esse; quia aliunde sumitur numerus Prædicabilium, aliunde Prædicamentorum; numerus enim Prædicamentorum, sumitur ex modo essendi; numerus autem Prædicabilium, sumitur ex modo inessendi. Porro modus inessendi est, qui explicatur per ipsam copulam, in Propositione. Modus autem essendi, explicatur per ipsum Prædicatum v.g. in hac Propositione: Homo est quantitas, significatur per prædicatum, quod est quantitas, significaturque per hoc Prædicatum modus essendi, qui est quantitas, adeoque significatur Prædicamentum. Si autem quæretur, Quomodo homo sit Quantus? respondebitur, Homo est accidentaliter Quantus; significabiturque modus, quo illi inest quantitas, nempe quod illi accidat. Quod si non ex eodem principio, sumitur numerus Prædicamentorum, & Prædicabilium, quantumvis erunt Prædicamenta decem, non erit necesse Prædicabilia esse decem; supponitur enim, Modos essendi rerum, esse decem; aut enim est substantia aut Quantitas &c. Modi autem sunt quinque inessendi; quia quod inest, vel inest per modum partis materialis, & erit Genus; vel inest per modum formalis determinativi & erit Differentia, &c.

INSTABIS. Non esse rationem, cur numerus Prædicamentorum sumatur ex modis essendi. Prædicabile autem ex modis inessendi.

RESPONDETUR. Hanc esse rationem, quia Prædicabilia non attendunt ad rem quæ prædicatur, sed solum ad modum prædicandi, qui est quinarius, tanquam verè ut Species prædicatur albedo de hac albedine, quam verè prædicatur homo de Petro, licet illa sit Accidens, hic substantia. Jam verò Prædicamentum ad ipsas res attendit; unde vocatur series rerum certo ordine dispositarum.

OBJICITUR 2. Videtur hic numerus merè esse factus ex placito Philosophorum, cur ergo augeri non poterit?

RESPONDETUR. Hanc rationem probare, quod etiam diminui possit. Quod autem non ad placitum sit hic numerus, exinde deducitur; quia non ad placitum est, quod omne quod prædicatur, prædicetur in Quid, aut in Quale, si in Quid &c. re-assumatur ratio supra dicta.

Obj-

OBJICITUR 3. Multa posse ostendi, quæ prædicantur universaliter, & tamen non revocantur ad quinque prædicta.

RESPONDETUR. Omnia revocari posse: Ensem revocari potest ad Genus, quando dicitur essentialiter incompletè, licet deficiat à ratione generis in univocatione. Unum revocari potest ad Proprium. Subsistentia, Persona, Unio, si sunt modi, possunt revocari ad Prædicabile Accidentis; nam etiam aliquid substantiale, potest prædicationem habere Accidentis: ut cum dico: Animal est homo; prædicatio est Accidentis, licet homo sit substantia, non Accidens. Istæ propositiones: Christus est homo, & Christus est Deus, prior revocabitur ad prædicationem speciei, de individuo; posterior revocari solet ad prædicationem Accidentis; naturæ enim humanæ, non est essentialiter terminari à persona divina, quanquam alii ponunt pro dictis propositionibus, sextum Prædicabile, quod vocant Assumptivum. Definitio autem dum prædicatur in quantum dicit Genus, revocabitur ad Prædicabile Generis; in quantum autem dicit Differentiam, revocabitur ad Prædicabile Differentiæ, ut vult Arriaga; quanquam posset dici, quod prædicabile Definitionis revocetur ad Speciem, à qua vix distinguitur ratione.

QUÆSTIO II.

De Genere.

Inquiremus imprimis de definitione Generis, postea ad alia delabemur.

DIFFICULTAS I.

An & quomodo Genus definiatur?

Ly Genus tripliciter sumitur. I. Pro collectione plurium ab eadem origine proficiscientium, ut Genus v. g. Græcorum. II. Accipitur Genus, pro Capite, à quo est hæc collectio; ut cum dicimus, Casimirus Rex est Jagello genere. III. Translatè, pro universali, quod sit veluti origo & principium specierum. Unde & Porphyrius dicit, Genus est id in quo species connotationem habent. De tali sumpto genere.

DICENDUM est 1. *Quod defini possit.*

PROBATUR 1. Quia nihil vetat.

PROBATUR 2. Quia de facto definitur, à facto autem ad potentiam, tenet illatio.

PROBATUR 3. Quia sic sumpti Generis, datur Genus & Differentia, Ergo & definibilitas.

OBJICITUR 1. Si Genus posset definiri, definiretur per Genus; per Genus non potest definiri, quia jam daretur generis genus, dareturq; processus in infinitum in generibus.

RESPONDETUR. Istius generis quod hic definitur, dari genus, nempe universale, cuius ipsius generis quod est universale, non datur jam Genus, in illo ordine superius; si autem agatur de Generibus in alio Ordine, etiam in his non dabitur processus in infinitum, sed devenietur ad Ens latissimè.

INSTABIS. Si Genus definiretur per Universale tanquam per quid superius, posset dici de illo Universali, quod contineatur sub prima specie Prædicabilium; possetq; de illo dici, Universale est Genus, consequenter & contineretur sub Genere, & contineret Genus.

RESPONDETUR. Concedendo, hanc Prædicationem esse bonam, si dicatur, Universale est Genus; bonam etiam hanc Prædicationem, Genus est Universale. Sed in priori, prædicatur de Universali ratio Generis accidentaliter; accidit enim Universali esse Genus, cum possit esse Species: in posteriori autem, est prædicatio quidditativa; de essentia enim Generis est, ut sit Universale. Deinde diverso respectu ab Universali continetur Genus, tunc cum Genus, induit rationem speciei, diverso respectu Universale continetur à Genere, in quantum verum est dicere. Universale est Genus.

OBJICITUR 2. Si Genus posset definiri, esset Species; haberet enim Genus & Differentiam; sed Genus non est species.

RESPONDETUR. Diverso respectu Genus potest esse Genus, respectu suorum inferiorum, si de illis modo sibi debito dicatur; diverso autem respectu erit Species; in quantum habet Genus & Differentiam.

OBJICITUR 3. Si posset definiri Genus, vel definiretur ut Genus, vel ut Species; si definitur ut Species, hoc ipso non definitur ut Genus; si autem definitur ut Genus, hoc ipso definiri non potest, non posset enim habere Genus & Differentiam, cum hæc ipsa Speciem constituent.

RESPONDETUR. Si quærat de ratione quæ definitur, illa erit Genus. Si quærat de ratione sub qua definitur, erit ratio Speciei.

DICENDUM est 2. *Rectè ita definiri Genus: Est id quod de pluribus specie vel numero differentibus in eo quod quid prædicatur.* Per particulam Id, intelligely universale, estq; hoc pro Genere. Reliqua sunt loco differentiarum.

PROBATUR 1. Bonitas definitionis, auctoritate Aristotelis. Top. cap. 4. & 5. Metaph. cap. 28. textu 33.

PROBATUR 2. Quia hæc definitio convenit omni, soli, & semper.

PROBATUR 3. Quia possibilis est talis Prædicabilitas; ex altera parte necessario illa erit genus, quia Specie non est quid superius nisi Genus, quod ipsum si quidditative dicatur de individuo, idque incompletè, non erit nisi Genus; Species enim completè dicitur.

Objt-

OBJICITUR 1. Auctoritas Aristot. qui 5. Metaph. tex. 26. docet, Genus esse partem Speciei 3. item Metaph. tex. 15. docet Genus, esse quasi Materiam. 7. item Metaph. tex. 37. docet. Universalia, esse quasi formam; jam verò, neq; pars, neq; forma, possunt dicere totum esse subjecti.

RESPONDETUR. Materiam & formam Metaphysicam importare totum esse, licet illud non importet pars & forma Physica.

OBJICITUR 2. Si Genus in quod quid prædicaretur de suis inferioribus, prædicaretur in recto; prædicari in recto non potest, nam pars, non potest prædicari in recto de toto: hinc non potest dici, homo est manus, homo est digitus; sed genus est pars suorum inferiorum: Ergo de illis in recto dici non potest.

RESPONDETUR. Verum id esse de partibus, quæ desumuntur à toto Physico, non verò de partibus, quæ desumuntur à toto Metaphysico, quod ipsum explicatur. Essentia rerum, ex Aristotele sunt sicut numeri, quibus nihil addi, nihil demipotes; consequenter consistunt in indivisibili. Hæ tamen essentia in indivisibili consistentes, prout considerantur à parte rei, non excludunt partes realiter separabiles Physicas, hoc est materiam & formam; quæ ita rem componunt, ut nihil sit in re constitutum illius, quod non sit materia & forma. Quod verò attinet ad partes Metaphysicas, hæ etiam nullam realitatem important, condistinctam à materia & forma; sed penitissimè illis & realiter identificantur. Porro hæc identificatio partium Metaphysicarum cum partibus Physicis materia & forma, non est talis, quasi animalitas identificetur materiæ, rationalitas formæ, aliàs sicut illæ partes sunt separabiles realiter, ita & animal, à rationali esset separabile realiter, quod tamen est absurdum. Et certè de essentia animalis est, Vivens sensitivum; cum tamen de essentia materiæ non sit Vivens sensitivum: rationale item præsupponit Sensitivum, quod Sensitivum non est præcisè ipsa Anima; hinc & Rationale non identificabitur soli Animæ; quod si animal non identificatur soli Materiæ, & Rationale soli animæ, & tamen identificantur cum re Physicè spectata, ideò partes Metaphysicæ ipsi toti identificari debent: quod si identificatur unaquæque ex ipsis partibus totis, tunc quoties dico de toto animal, dico id quod est identificatum toti illi, consequenter dico id quod exprimit etiam Differentiam, saltem consequenter. Quomodo autem genus importet differentiam consequenter & implicite, quamvis à Differentia per nos præscindat, id ita explanari potest. Animal dictum de Homine est tale prædicatum, quod desumitur à tota rei entitate Physica, & non unitantum partem, sed toti Physico est identificata; quod si desumeretur à tota entitate Physica, totam illam

entitatem Physicam importabit, & quia huic entitati est identificata realiter rationalitas, ex consequenti dicitur & ipsam rationalitatem, unde licet genus ipsum, nec confuse includat differentiam, sed perfecte ab ea objective præscindat, quia tamen ipsum subjectum Physicè spectatum, à sua non præscindit differentiam, sed eam importat, ideò Animal, dicendo illud Physicum à quo desumitur, dicitur ex consequenti omnia illi identificata, consequenter & Differentiam, & licet quando prædicatur Animal de Homine, prædicetur ut aliquid quod est in Homine, non inde sequetur, quod non possit prædicari de Toto, est enim pars, sed desumibilis à tota Entitate Physica.

INSTABIS. Sequeretur, quod etiam Risibile importaret totam essentiam, quia importaret Hominem, qui in quantum est subjectum propositionis, dicit totam essentiam.

RESPONDETUR, à risibili quoad rem importari totam essentiam, sed non quoad modum prædicandi & concipiendi; non enim prædicamus Risibile in Quid, & concipimus illud per modum accidentis, quamvis in re Risibile, sit ipsa essentia hominis.

OBJICITUR 3. Quando prædicatur Animal de Homine, prædicatur Animal quod est ipse Homo, Animal autem quod est ipse Homo, non est Genus.

RESPONDETUR. Animal quod est ipse Homo, sub ratione hominis, non est Genus, licet sit Genus acceptum Animal secundum quod est quid commune specie & numero differentibus.

NOTO ad reliquas Objectiones solvendas.

1. quod etiam rationalitas dicta de homine, importet totum esse hominis, desumitur enim à tota essentia, non prædicatur tamen in Quid: quia non importat totam essentiam per modum per se stantis, sed facit id per modum advenientis. 2. Quando genus v.g. Corpus, prædicatur de animato & inanimato, quæ sunt genera, non sequitur, genus prædicari etiam de differentibus genere; non prædicatur enim de illis ut genera sunt, sed ut species sunt subalternæ. 3. Quando prædicatur genus v.g. Animal de Rationali, non prædicatur de Differentia, nisi materialiter & in concreto, sic autem sumpta supponit pro Homine, consequenter tunc Genus prædicatur de Specie non de Differentia; nam de Differentia formaliter sumpta, non prædicatur, nam non possum dicere, Rationalitas est Animal.

COLLIGES. An genus prædicetur ut totum potestativum, an ut pars; Certè enim cum nomine totius potestativi, veniat quiddam commune suis inferioribus, ad quæ quia se extendit, dicitur habere potestatem supra illa; & ex altera parte cum verum sit, quod genus sit quid commune inferioribus, cum item verum sit per Genus totam essentiam rei importari, verum

verum erit Genus prædicari ut totum potestativum. Non nego tamen, quod etiam genus ut pars prædicetur, v. g. de gationali quod est compar illius, nec repugnat ut aliquid diverso respectu sit pars, & diverso respectu sit totum; quia Petrus in se spectatus, est totum quoddam, spectatus autem in ordine ad exercitum, est pars illius.

DIFFICULTAS II.

De Nexu Generis cum Speciebus & Individuis.

Duo hic attingentur, an genus requirat plures Species? deinde perstringentur aliqua de Individuis.

Quod attinet ad nexum Generis cum Speciebus.

Genus dupliciter spectari potest: vel primo intentionaliter, hoc est, pro ipsa Natura cui competit esse Genus, vel secundo intentionaliter, hoc est, Genus quæ Genus est, accipiendo scilicet Naturam, in quantum subest nostris conceptibus, acquirisque vi conceptuum nostrorum, rationem Universalis, rationem Prædicabilis &c.

DICENDUM est I. *Genus prout genus est, seu prout est universale de pluribus dicibile, requirit plures species.* Ita Oviedo & alii.

PROBATUR I. Auctoritate Aristotelis. 6. Top. loco 29. *Omne, inquit, genus vis, quæ è diverso dividuntur differentiis, dividitur; ut animal gressibile, volatile, &c.* & 4. Top. cap. 3. Quoniam inquit omnis generis plures species & 10. Met. tex. 14.

PROBATUR 2. Ratione, fundata in auctoritate Porphyrii. Genus est, quod debet prædicari de pluribus specie differentiibus, sed si impossibiles essent plures species, genus non posset prædicari de pluribus specie differentiibus, ergo nec posset esse genus.

PROBAT 3. Oviedo. Illud genus, & esset genus, & non esset data impossibilitate specierum; esset, ut asseris, & non esset, quia non esset prædicabile in Quid incompletè, per modum partis materialis, quod est de essentia generis, ut genus est. Quod verò non esset jam ita prædicabile, probatur. Quod se non haberet per modum partis contrahibilis, & magis latè patens, non posset habere se per modum partis materialis; contrahibile enim & materiale in idem recidant, sed genus in illo casu, non haberet se per modum contrahibilis & magis latè patens, non enim essent plures species, ad quas contrahi posset; ergo jam tunc non esset prædicabile in Quid incompletè per modum partis materialis. Confirmat idem, in illo casu sensitivum & rationale, ita se haberet, sicut nunc habet se intellectivum & rationale, quorum neutrum est magis latè patens, nec se habet per modum partis materialis ad aliud.

RESPONDEBIS. Sicut potest dari materia, quæ sit determinata ad unam formam, & tamen verè sit materia, cur non etiam verè genus poterit esse genus, adeoque pars materialis, quantumvis erit ad unam tantum speciem determinatum, cæteris speciebus impossibilibus?

CONTRA ex Oviedo. Genus vocatur Materia, similitudine ducta non à quacunque possibili materia, sed à materia, quæ modo est, adeoque à materia per plures formas contrahibili. Disparitas etiam est, quia ex antecedenti, nullum sequitur absurdum, absurdum autem esset, esse genus, & non habere possibiles species plures; quod ipsum probō; quia & esset Genus, & non esset, esset, ut dicis; non esset, quia de pluribus specie distinctis prædicabile non esset. Adde si quis novam aliquam definitionem Generis ut Genus est sibi comminisceretur, fortassis tale Genus posset dari, etiam unica tantum specie possibili.

OBJICITUR I. Etiam si una tantum esset species possibilis, adhuc in illius speciei individuis, homo haberet eadem essentialia prædicata; sed nunc unum ex essentialibus prædicatis hominis est animal, quod est genus, ergo & tunc esset genus.

RESPONDETUR. Eadem quidem, in homine futura prædicata essentialia, sed non eodem modo se habentia; jam enim universalitate privarentur, ob impossibilitatem specierum, secundum dicta supra.

OBJICITUR 2. Nunc quando ab unius speciei individuis abstrahitur animal, prædicari potest ut genus, ergo etiam & in casu quo non nisi possibilis esset una species, posset prædicari ut genus.

RESPONDETUR. Disparitatem esse, quia nunc abstractum Animal ab unius speciei individuis, est æquivalenter abstractum à pluribus speciebus, posset enim exiri in actum, quo à pluribus speciebus abstrahi posset, & de pluribus dici; in casu autem, quo reliquæ species essent impossibiles, non posset exiri in actum à pluribus speciebus, rationem genericam abstrahentem.

OBJICITUR 3. In casu, quo essent impossibiles plures species animalis extra hominem, alia esset hæc prædicatio. Petrus est homo, & alia esset hæc prædicatio: Petrus est animal; hæc autem alietas, non aliunde esset, nisi quia tunc Animal per modum partis diceretur, & Homo per modum totius; consequenter hæc alietas inde esset, quia illud Animal diceretur per modum generis, Homo verò per modum speciei.

RESPONDETUR communiter. Non fore distinctas has prædicationes, quia sicut ubicunque esset homo illic esset animal, ita ubicunque esset animal, illic esset homo, & neutrum, haberet se per modum partis materialis, & magis latè

† Kk

paten-

patentis; imò tunc animal, non significaret vivens sensitivum solum, sed significaret vivens sensitivum rationale, idque propter non reperibilitatem viventis sensitivi sine rationali ad eum modum, quo, idem significat homo, & animal rationale, propter irreperibilitatem animalis rationalis, sine ratione hominis.

INSTABIS. Adhuc tunc animal dictum de Petro non diceret rationale, ergo adhuc tunc per modum partis prædicaretur, & certè etiam tunc homo haberet principium & sentiendi & discurrendi, quod tamen discurrendi principium, non exprimeret animal.

RESPONDETUR. Ita acceptum Animal sicut nunc accipitur à nobis & concipitur, non infert rationale, sed animal quale tunc esset, inferreret rationale, quantumvis vi vocis illud non exprimeret; unde dico has prædicationes; Petrus est animal, & Petrus est homo, fore casu distinctas merè vocaliter. Concedo item, tantum unam partem expressè dicendam tunc à ly animal, sed nego, tunc prædicandum illud ut genus, ex rationibus allatis, sed esset tantum prædicatio æqualis de æquali, adeoque non universalis; præcipuè cum tunc Animal, rationem partis materialis non importaret. Et sicut nunc cum dicimus; Homo est intellectivum, Homo est volitivum, sunt propositiones distinctæ, etiam si volitivum nunquam sit reperibile sine intellectivo, ita & Propositiones, Petrus est Animal, Petrus est Homo, erunt propositiones distinctæ, quantumvis jam Animal sine Rationali, non esset reperibile.

OBJICITUR 4. Natura Gabrielis, est non plurificabilis in plura individua, & tamen est universalis; ergo ad universalitatem plures species possibiles non sunt requisitæ. Antecedens probatur. Adhuc natura Gabrielis potest præscindi à singularitate, jam verò ita præcisa, non esset singularis, quid enim absque singularitate singulare est? Ergo universalis. Respondent alii, non posse naturam Gabrielis abstrahi ab ejus singularitate, supposito, quod Natura Gabrielis sit seipsa individua. Sed

RESPONDERI potest. Concesso quod abstrahi possit natura Gabrielis ab ejus singularitate, concessio, quod non erit tunc in statu præcisionis natura Gabrielis singularis, sed nego naturam tunc fore universalem; cum enim per meam præcisionem, id quod est impossibile ut sit in pluribus, non acquirat aptitudinem essendi in multis, nec eam naturam Gabrielis præcisa acquireret. Cæterum si natura Gabrielis prædicetur de sua singularitate, non erit prædicatio superioris de inferiori, sed æqualis de æquali.

INSTABIS. Adhuc Gabriel constaret tunc genere & differentia, esset enim species. Ergo esset prædicabilis de pluribus, natura illius.

RESPONDETUR. Negando Conseq. Quia

vi compositionis ex genere & Differentia, solum habebit Natura Gabrielis ut sit species subijcibilis, non verò habebit ut sit species prædicabilis, quia ad hoc caret requisito, nempe ut latius individuo pateat. Addo tamen signanter, naturam Angelicam pro genere sumptam, fore verè genus, quantumvis Gabrielis & Raphaelis natura non sint plurificabiles in individuis; sicut & animal esset genus, etiam si non esset possibile nisi unus homo, unus leo, unus asinus &c. Ratio est, quia nullum est fundamentum id negandi; & quia verè tunc Animal, haberet se per modum partis materialis determinabilis, per specificas differentias.

DICENDUM 2. Genus prout natura est, bene potest in unica Specie conservari.

PROBATUR 1. Auctoritate S. Thomæ, qui ex mente Aristotel. 1. parte, q. 77. art. 1. ad. 1. hoc statuit discrimen inter totum integrale, & totum essentiale, quia totum integrale, in unaquaque parte solitariè sumpta non salvatur, salvatur autem totum essentiale.

PROBATUR 2. Impossibilibus reliquis speciebus nisi v. g. humana, quæ ille homo vel esset homo vel non esset? esset homo, supponimus enim esse possibilem hominem, & non esset homo, ut probo; quia ille homo vel esset animal, vel non esset; si non esset animal, ergo neque esset homo, cum homo sit animal rationale; si esset animal, ergo natura animalis, in una specie conservaretur.

PROBATUR 3. Quia si ipse tantum homo possibile esset, nullum deesset in homine prædicatum spectans ad definitionem animalis, verè enim diceretur, Homo est substantia corporea, vivens, sensitiva. Ergo in uno individuo Genus, prout est natura conservaretur.

RESPONDEBIS. Sublatà proprietate naturæ genericæ tollitur & ipsa natura generica, sed in tali casu tolleretur potentia ad contrahi per plures species, quæ est proprietas naturæ; Ergo tolleretur & natura generica.

CONTRA est. Potentia ad contrahi per plures species, est prædicatum conveniens naturæ genericæ, non quæ natura, sed quæ generica est; ergo impossibilibus omnibus speciebus extruam, adhuc tunc natura generica quæ natura est, conservari posset.

ADDO 1. Perfectiones Animalis quasdam esse formales, quasdam materiales: formales perfectiones censentur esse rationes specificæ gradui generico superadditæ: perfectiones autem materiales, sunt ipsæ individuationes, & hæc ceitates, quarum officium non est gradum genericum formare, sed solum ab aliis intra eandem speciem dividere. Supposito ergo quod aliæ sint perfectiones & complementa formalia, alia complementa materialia; Dico genus secundum quod est complebile per complementa

menta formalia, ad hoc ut censetur habere actu omnia sua complementa formalia, dico inquam requirere, ut habeat plures perfectiones specificas; & hoc puto voluit S. Thomas in primum Distinctione 19. quæst. 4. & 1. Par. q. 77. art. 1. Ratio additi est; quia Differentiæ specificæ sunt complementa formalia; sed in una specie, cum non sint omnes differentiæ specificæ, neque erunt omnia complementa formalia. Tum quia in uno Physico, materia Physica non habet omnia complementa, quæ habere potest, quia non habet omnes formas; ergo & in uno composito Metaphysico, materia Metaphysica, hoc est genus, non habet omnia complementa, quæ habere potest formalia. Tum quia Genus, tunc est Genus, quando est quid totum ad quod erat potentia, sed erat potentia, non ad unam speciem, ergo in una specie non habet omnia complementa formalia.

ADDO 2. Si Deus non potest ponere omnia possibilia etiam in certo genere, non poterit etiam ponere genus habens omnia sua complementa formalia; quia aliàs deberet ponere omnes possibiles species.

ADDO 3. Cur Species in uno individuo conservari possit, quoad omnia sua complementa formalia, non possit autem genus: quia Species est potentia non nisi ad unum tantum complementum formale, ergo illo habito erit completa, potest autem illud habere in uno individuo; genus autem est potentia ad plura complementa, & quia plura complementa non sunt in una specie, ideo nec in illa, actu completum quoad omnia, manet genus. Ceterum etiam species, secundum quod est universale, si in uno tantum contineretur individuo, ceteris impossibilibus individuis, contineri non posset per modum speciei; non enim in illo haberet se per modum magis latè patentis.

De Nexu cum Individuis.

NOTO 1. ex Oviedo. Aliud esse completum individuum, aliud incompletum; Completum individuum est, quod continet in se rationem specificam, & rationes omnes superiores, quæ possunt contrahere rationem genericam: Ita Petrus est individuum completum; habet enim rationem specificam hominis, & habet rationem viventis, sentientis, &c. Individuum autem incompletum est, quod non continet totam essentiam speciei, sed rationem genericam sub eodem nomine contrahit, ad rationem singularem, v. g. hoc Animal, hæc Substantia, hoc Ens; ubi ut vides ratio communis, sola additione termini singularis contrahitur.

NOTO 2. Ex Pontio hic Disp. 6. q. 6. non posse dari à parte rei, seu in statu existentia, individuum incompletum: v. g. non posse dari hoc Animal, quod neque sit homo, neque Leo,

neque Sus, &c. Ratio est; quia non possunt dari à parte rei universalis existentia extra singularia, ergo neque ista incompleta individua. Deinde illud individuum genericum, hoc v. g. animal, vel esset à parte rei ejusdem rationis cum rationali, vel diversæ rationis; si est ejusdem rationis, ergo præter rationem animalis & hæccitatis, dicit rationalitatem; se sola enim animalitas, & se sola hæccitas, non est rationalitas; si autem est diversæ rationis à rationali, ergo habebit aliquod prædicatum essentiale, quod non reperiretur in rationali, consequenter habebit aliquam differentiam, præter animalitatem.

RESPONDETUR 1. Illud Animal, fore distinctum à rationali, non per aliquid positivum, sed per aliquid negativum, hoc est per negationem rationalitatis, quæ rationalitas est in homine: ad eum modum, quo paries non albus, à pariete albo, distinguitur per solam negationem. Sed

CONTRA est, ex eodem Pontio. Quia omne negativum, debet fundari in aliquo positivo, hoc autem negativum quod est non esse ejusdem rationis cum rationali, in quo oro fundabitur? non in hæccitate secundum se spectata, quia hæc non nisi determinationem ad esse individui importat; non item in animalitate secundum se spectata; quia aliàs ubicunque esset animal, illic esset ista negatio; quod enim rei secundum se spectatæ convenit, ubique illi convenit.

RESPONDETUR 2. Animal quod est in homine, fundare identitatem realem cum rationali, & negationem talis identitatis cum brutalitate; quantumvis Animal quod est in bruto, non fundet istam negationem; Ergo etiam Animal, quod erit in individuo generico incompleto, poterit fundare negationem rationalitatis, quantumvis eam non fundet in homine, aut alio individuo.

CONTRA est. Quia quando Animal, quod est in homine, fundat negationem identitatis cum brutalitate, fundat illam, propter identitatem realem cum alio à se & quidem positivo, quod istam negationem necessario exigit; istud autem positivum, est Rationalitas, quæ dicit necessario negationem brutalitatis: jam verò tu non potes ostendere, quod animal inclusum in individuo incompleto, fundet istam negationem rationalitatis.

NOTO 3. Ex Arriaga, & novissimè ex Maestro Disp. 8. Log. q. 1. art. 3. Posse dari per intellectum, individua, incompleta, & quidem immediata. Præmissum duas partes continet. Primam. Quod possint dari individua, incompleta per intellectum. Secunda Pars. Quod possint esse immediata hæc individua. Prima pars probatur. Quia de facto dantur tales prædicationes, hoc animal est animal; hæc Substantia est Substantia; hoc Ens est Ens. Ergo dan-

† Kk 2 tuf

tur individua incompleta; Pro secunda parte præmissi ratio est. Quia non denegandum est intellectui, quod possit dividere in communi Animal, in hoc, & hoc animal immediatè, cum experiamur nos talem divisionem facere. Tum quia natura generica, est singularis in individu, sicut & natura specifica, Ergo si natura specifica, potest immediatè dici de suis individu, etiam ratio generica, poterit immediatè dici, de hac v. g. animalitate. Consequentia probatur: Ideò dicitur immediatè natura specifica, de individuo specifico, quia nihil mediat inter naturam specificam, & individuum specificum, sed etiam nihil mediat inter animal, & hoc animal, in ratione Animalis, quid enim illud? Ergo. Tum quia, quando quærimus quid est hoc? ly Hoc non supponit pro individuo speciei infimæ, aliàs frustra quæreretur, cum sciretur jam ejus species infima. Ergo ly Quid est hoc: tantum supponit pro individuo incompleto. Item cum à longè video animal esse quod movetur, & nescio an illud sit rugibile, an rationale, verè tunc concipio individuum incompletum.

DICES I. ex Suarez Disp. 6. n. 15. Ratio generica præcisè sumpta, est indifferens, & quasi in potentia essentiali, ut per differentiam specificam determinetur. Ergo donec intelligatur determinata per individuationem specificam seu completam, non potest intelligi determinata per individuationem incompletam.

RESPONDETUR. Esse quidem rationem genericam in potentia essentiali, ad determinari à parte rei, nonnisi per solam differentiam specificam, falsum tamen est quod objectivè, nonnisi per solam differentiam specificam, determinari possit.

INSTABIS ex eodem. Non potest differentia specifica etiam per intellectum dividi in plures differentias specificas; Ergo neque possumus partiri unam realiter differentiam individua-lem specificam, in plures individuales, quarum singula, singulis gradibus superioribus respondeant.

RESPONDET Mastrius n. 35. quia non quilibet gradus superior præcisus ab alio, est capax effectus formalis differentia specificæ; quod si gradus superior non est capax differentia specificæ, non poterit de gradu superiore dici. v. g. Corpus, non est capax effectus formalis differentia, quæ est rationalitas, unde non possum prædicare rationalitatem de corpore v. g. dicendo corpus rationale, quod si non poterit hoc dici, consequenter nec poterit una differentia specifica dividi in plures, singulis rationibus genericis convenientes: jam verò unus gradus præcisus ab alio, est capax individuationis; unde dicitur, hoc Animal, hoc Corpus, hæc Substantia.

INSTABIS ex eodem. Non potest contrahi corpus etiam per intellectum per differentiam

hominis, nisi mediante animali; ergo nec potest contrahi animal per differentiam incompletam, nisi mediante v. g. rationali.

RESPONDETUR. Adferendo eandem quam supra ex Mastrio disparitatem.

DICES 2. Gradus superiores, ita prædicantur de inferioribus, sicut sunt dispositi in linea prædicamentali; sed in ea linea, inter individua mediant species; Ergo gradus de individu nonnisi mediante specie dicuntur.

RESPONDETUR. Nonnisi respectu individuorum completorum, mediare speciem in linea prædicamentali, inde etiam de illis nonnisi mediante specie prædicabitur. Et licet verum sit, commune, & individuum incompletum, esse duo extrema, ab uno tamen extremo quod est commune, ad aliud extremum quod est individuum incompletum, transiri potest sine ullo medio; cum nihil inter illa ut probavi mediet, & sicut quia inter contradictoria extrema non datur medium, transitureque ab uno ad aliud sine medio, ita & hic.

DICES 3. Hæc individua incompleta non sunt à specificis distincta; nam cum dico, Hoc animal, idem est ac si dicam. Petrus est animal, quia ly Hoc designat aliquid singulare existens. Ergo de illis incompletis, individu, nequit genus prædicari.

RESPONDETUR. Individua incompleta, non esse quidem re distincta à completis, esse tamen objectivè, ut dixi distincta; unde, & cum dico, hoc animal, ly hoc animal, referendo ad statum realem, idem erit dicere, ac, Petrus est animal, sed non erit idem, per ordinem ad nostras intentiones & statum objectivum.

DIFFICULTAS III.

De quibus genus prædicetur ut Genus.

DICENDUM est 1. Genus de incompletis individu, prædicari ut speciem.

PROBATUR Conclus. Quod prædicatur de individu incompletis per modum totius, illud prædicatur per modum speciei, ut constabit ex dicendis de specie, sed ly Animal, dictum de hoc animali, prædicatur per modum totius, ergo prædicatur per modum speciei. Minor probatur; ista prædicatio, Petrus est homo; est prædicatio per modum totius; Ergo & hæc prædicatio, hoc Animal est animal. Tum quia ad prædicationem completam, sufficit explicare totam essentiam, relictâ individuatione) ad individuationes enim & singularitates non attendunt scientia, sed ad solas essentias) sed in prædicatione de individuo incompleto, explicatur tota essentia, relictâ individuatione; Ergo.

RESPONDET I. Comptonus. Prædicari in Quid incompletè, esse proprietatem generis tantum,

lem, quod scilicet nil ita prædicetur, sed non esse proprietatem talem, quæ inferat genus non-nisi ita prædicari. Sed per illum quotiescunque Animal de specie differentibus dicitur, toties prædicatur ut genus.

CONTRA est. Hoc ipsum probandum esset, quod scilicet sufficiat ad hoc ut dicatur prædicari genus, quæ genus, si prædicetur de specie differentibus, præcipue quia non ex subiectis, de quibus fit prædicatio, spectanda sit diversitas universalium; aliàs differentiæ genericæ, & differentiæ specificæ, constituerent duo diversa Prædicabilia, cum diversa subiecta, de quibus prædicantur, habeant; sed diversitas hæc spectanda est ex modo prædicandi, Animal autem de hoc animali, prædicatur per modum totius, adeoque per modum speciei.

RESPONDETUR 2. Hoc animal confusè involvere speciem.

CONTRA est. Quia licet speciem involvat à parte rei hoc animal, falsum tamen est, quod involvat in statu objectivo.

OBJICITUR 1. Quando video à longè duo individua hominum, & duo Leonum, sed non adverte ea esse individua hominum, & individua leonum, possum abstrahere ab illis omnibus rationem communem animalis, quæ ratio erit genericæ; quia conveniet specie differentibus, possumque illam de his animalibus prædicare; Ergo de hoc animali, & de hoc animali, potest prædicari Animal tanquam genus.

RESPONDETUR. Illam rationem abstractam, non fore genericam; quia non abstrahitur à specie differentibus cognitis ut talibus, quantumvis illa in statu existentia, sint specie distincta.

OBJICITUR 2. Si Ens prædicaretur per modum speciei, de hoc ente; item substantia de hac substantia, prædicaretur species absque genere, quod est absurdum. Sequela probatur. Quia ens illud esset species, per modum enim speciei prædicaretur, & tamen non haberet genus, quia Ens, genus se superius non habet.

RESPONDET OVIEDO. Speciem subijcibilem esse absque genere, absurdum est, sed non est absurdum, esse absque genere speciem prædicabilem; hic vero Ens esset species prædicabilis. Dat rationem responsionis Arriaga, quia species subijcibilis, definitur per ordinem ad genus; dicitur enim est id, quod subest generi. Species autem prædicabilis, non definitur per genus, solumque requirit, ut prædicetur in Quid completè, de solo numero differentibus; quod potest stare, etiam si proprium genus, illa species non habeat.

OBJICITUR 3. Quando dico hoc animal est animal, nulla facta mutatione, idem potest dici de Sue, Leone &c., adeoque de specie distinctis; ergo apparet rationem illic genericam prædicari.

RESPONDETUR. Idem quidem Animal, sed non eodem modo dicendum de Sue, Leone &c., quia de illis per modum partis materialis dicitur, quod si alio modo dicitur, jam apparet aliam rationem universalis induisse illud, cum ex modo dicendi, ratio universalium diversa desumatur.

OBJICITUR 4. Si de illis individuis incompletis, non prædicatur Genus ut Genus; quoniam hæc individua dicuntur genericæ; cum præter potius, illa dici individua specificæ.

RESPONDETUR. Hæc individua si spectentur ratione modi quo prædicatur de illis genus, potius appellari debere specificæ; sed appellantur genericæ, ratione modi contrahendi genus, quod scilicet illud non mediante specie contrahant.

OBJICITUR 5. Si in hac Propositione, hoc animal est animal, esset prædicatio speciei, tunc omnia inferiora in quantum conveniunt in ratione huius animalis, essent solo numero distincta; sed hoc non potest esse; quia aliàs aliquid à parte rei esset in Petro, quod specie differret à Bucephalo, & non esset aliquid, quod differret specie; quæ sunt contradictoria: esset quidem aliquid, quod specie differret, ut supponitur; non esset autem aliquid quod specie differret; quia in Petro non esset nisi hoc animal, hoc autem animal, contentum sub Ly Animal tanquam specie, non differt nisi individualiter, ab alio, hoc animali.

RESPONDETUR. Quamvis à parte rei hoc animal, & hoc animal, sint distincta realiter, & unum, contineat prædicatum, quo caret alterum, pro statu tamen intentionali differunt solo Numero. Unde ulterius dico non esse quidem realiter actum aliquid in homine, quod sit solo numero distinctum à Bucephalo, cum realiter quidquid est in homine, est realiter rationale; esse tamen fundamentaliter aliquid in homine, quod sit solo numero distinctum à Bucephalo; quia potest præscindi hæc ceitas à rationali, solique animali attribui, idque non ita sicut qui attribueret homini hinnibilitatem; quia nullum habet fundamentum ut intellectus attribuat hinnibilitatem homini, habet autem fundamentum conjungendi hæc ceitatem cum animalitate.

OBJICITUR 6. Differentia numerica individui equini, etiam incompletè sumpti, est prædicatum notabiliter diversum, à differentia numerica individui humani; illa enim petit realiter identificari cum differentia hinnibilis, quod non petit alia.

RESPONDETUR. Differentias incompletas si sumantur Physicè, vel certè per ordinem ad statum realem, omnino non differre solo numero, si autem sumantur prout substantiis conceptibus, non sunt plus quam numero distinctæ.

DICENDUM est 2. *De Speciebus prædicari genus ut genus.*

PROBATUR. Quia prædicatur de illis in Quid essentialiter incompletè partem materialem significando; Ergo de illis prædicatur genus ut genus.

DICENDUM est 3. *Genus prædicari ut genus etiam de individuis completis, hoc est de Petro v. g. Bucephalo &c.*

PROBATUR. Quia in hac prædicatione, Petrus est animal, & in hac prædicatione, Homo est animal, nulla apparet differentia; Ergo utrobique prædicatur genus, ut videbitur solvendo argumenta.

OBJICITUR 1. Aristoteles 4. Top. c. 6. dicit. *De nullo genus quam de speciebus prædicatur.*

RESPONDETUR. De nullo genus prædicari principalius quam de speciebus, nam etiam in individuis id quod principale est, species est; ad eum planè modum quo dicitur Dominus Palatinus est in prandio, cum & alii cum illo sint in eodem prandio; ita principaliter dicitur genus de speciebus, quantumvis & de aliis dicatur.

OBJICIT 2. Porphyrius, qui dicit. Genus prædicari de pluribus specie differentibus, individua autem non sunt specie differentia.

RESPONDET OVIEDO. Non dixisse Porphyrium genus prædicari de speciebus, sed de differentibus specie, rectè autem individua v. g. equina, dici possunt differre specie ab individuis leoninis.

OBJICITUR 3. Si de differentibus numero potest prædicari Genus, ergo est species.

RESPONDETUR. Non esse speciem, quia per modum partis, non per modum totius, de his inferioribus dicitur. Differentia autem Prædicabilium, & supra dixi, non ex terminis de quibus dicuntur, sed ex modo dicendi pensanda.

OBJICITUR 4. Animal dictum de Petro & Paulo non prædicatur ut genus, ergo nec dictum de Petro & Bucephalo, propter rationis paritatem. Anteced. prob. quia ly Animal, nec prædicatur de Petro & Paulo tanquam de pluribus speciebus, neque tanquam de pluribus specie differentibus.

RESPONDETUR. Negando quod Animal dictum de Petro & Paulo non prædicetur ut Genus, prædicabiturque de illis tanquam specie differentibus, non respectu sui, sed respectu aliorum individuorum.

INSTABIS. Ergo Animal non absolute ut genus prædicatur de Petro & Paulo, cum illi non sint absolute specie differentes.

RESPONDETUR. Negando illatum; ut enim dixi, ratio generis non sumenda ex subjecto de quo prædicatur præcisè, sed sumenda ex modo prædicandi.

OBJICITUR 5. Genus tantum respectu specierum est Genus; quia si non essent possibiles

species, non esset genus; ergo de illis tantum prædicatur genus, ut genus.

RESPONDETUR. Negand. Anteced. & probat. ejus Conseq. Quia etiam si non essent possibilia individua, non esset etiam genus; ergo etiam de illis prædicabitur ut genus. Deinde. Quando duo sunt ad aliquid requisita, non licet argumentari à positione unius, ad negationem aliùs, v. g. homo est animal, ergo non est rationale; & sic quia ad Genus requisita est possibilitas specierum & individuorum, neque enim species nisi in individuis sunt, non licet argumentari, à positione specierum, ad negationem individuorum.

INSTABIS. Alia est prædicabilitas de solo numero differentibus, alia prædicabilitas de specie differentibus; ergo si genus & de specie & de numero differentibus dici potest, duplicem prædicabilitatem habebit.

RESPONDETUR supr. Negand. Antec. quia non ex subjecto de quo fit prædicatio, sed ex modo prædicandi pensanda prædicabilium diversitas; Genus autem tam de individuis, quam de speciebus, eodem modo prædicatur.

QUÆRES. *An immediate prædicetur genus de individuis?*

RESPONDETUR. Posse genus prædicari de individuis mediatè. Quia potest ut medium assumi ad probandum, quòd Petrus sit animal, quia scilicet est homo. Et quia species immediate subijcitur generi in linea prædicamentali. Sed potest etiam genus prædicari immediate de ipsis individuis, ita Oviedo. Ratio, tum quia potest intellectus dividere animal, in Petrum & Bucephalum, nihil cogitando, quòd homo & equus sint species; quòd enim est fundamentum, quare id facere intellectus non possit? Tum quia: hæc prædicationes, Homo est animal, Equus est animal, sunt immediate, quantumvis animal, immediatius dividi poterit, in brutum, hominem. Tum quia. Potest ratio animalis, immediate abstrahi ab ipsis individuis specie distinctis; possunt enim cognosci in ordine ad operationes omnino similes, ergo & prædicari de illis. Addit idem num. 12. posse mediis individuis genus prædicari de ipsis speciebus; Quia hujus termini; homo est animal, potest fieri explicatio, per descensum distributivum v. g. dicendo. Petrus & Paulus, & Joannes &c. sunt animal; Ergo homo est animal, quo casu individua immediate attingentur, & illis mediantibus, species.

QUÆSTIO II.

De Differentia.

PRÆMITTO 1. *Differentia nomine, id venit, per quod unum differt ab alio. Proprietates Differentiæ numerat Porphyrius. I. Quod dividat*

vidat Genus. 2. Quod constituat Speciem. 3. Quod discriminet unam speciem ab alia. 4. Quod referatur ad inferiora.

PRÆMITTO 2. *Quod idem Apostata, divisit Differentiam, in Propriissimam sive Specificam; quale est Rationale: in Propriam, qualis est proprietas quarti modi, v.g. Risibilitas: & in communem, qualis est differentia per accidentia, Albedinem, Nigredinem &c.*

PRÆMITTO 3. *Certum esse respectu unius ejusdemq. gradus, aliam esse differentiam Divisivam, aliam Constitutivam.* Nam Constitutiva differentia respectu Animalis, est Sensitivum. Divisiva autem est Rationale & Irrationale. Certum item, respectu diversorum graduum, eandem differentiam posse habere & rationem Divisivam, & rationem Constitutivam; & ita Rationale est divisivum Animalis, & constitutivum Hominis. Certum item est, omnem differentiam constitutivam, esse simul divisivam, ut inducenti patebit; sed non omnem divisivam quā talem, esse constitutivam; quia divisivæ differentiæ, possunt etiam esse formaliter negativæ; quale est formaliter sumptum insensitivum, & tamen constituere non possunt res positivæ formalitates negativæ. Certum denique est constitutivam differentiam debere esse suo modo radicem.

PRÆMITTO 4. *Fieri posse, ut unum quod est respectu unius Differentiæ, sit respectu alijs genus; & id quod est respectu unius genus, sit respectu alijs differentia; & ita in definitione hominis, Animal rationale, respectu Angelorum Rationale, aut intellectivum potest se habere per modum generis, Animal verò per modum differentiæ.*

PRÆMITTO 5. *Divisionem Differentiæ si fieri debuissest immediata, formandam fuisse, in Differentiam Genericam, & Specificam.*

RATIO. Quia hæc divisio, est per membra universalissima.

DIFFICULTAS I.

Quid, & de quo prædicetur Differentia.

Quicquid sit de definitione tradita à Porphyrio, qui fortè differentias rigorosas non agnovit, sed tantum Combinationes accidentium.

DICENDUM est 1. *Differentiam in communi, esse id quod prædicatur de pluribus in Quale quid, ita, ut si prædicetur de pluribus specie differentibus in quale quid, erit differentia generica, si de pluribus numero, erit differentia specifica.*

PROBATUR. Bonitas definitionis, quia convenit soli, omni, & semper: proceditq. per primam in linea Logica, sive in linea dicendi: Ubi ut vides definitur Differentia, prout est species, per differentiam essentialem, scil. talem prædicandi modum.

OBJICIES 1. Aristot. 4. Top. c. 1. ubi dicit, caccidens in Quale Quid prædicari.

RESPONDETUR. Arist. loqui de Quali quid accidentali, non autem de Quali quid essentiali, quod competit differentiis, de quibus hic. Dicit etiam posset quod ly Quale quid, sumi potest vel conjunctim, significabitque ista complexio modum prædicandi differentiæ debitum; spectat enim differentia ad Quid dicitatem. Deinde sumi potest Quale, Quid, etiam disjunctim, ita ut Quale, exprimat id quod dicitur, Quid autem importet non nisi subjectum illud, de quo fit prædicatio; & in isto sensu, Accidens in Quale, quid prædicatur.

OBJICITUR 2. Id quod est substantiale, non potest prædicari in quale, sed in quid. Differentiæ autem sunt, saltem infimæ, quid substantiale.

RESPONDETUR. Id quod est substantiale, sed per modum advenientis, posse prædicari in quale, modo ita adveniat, ut adferat ei cui advenit, rationem aliquam essentialem, licet non possit prædicari in quale ratio essentialis, quæ non concipitur per modum advenientis.

OBJICIT 3. Impossibilis est talis modus prædicandi: prædicatio enim in quale, est prædicatio Accidentis. Prædicatio autem in quid, est prædicatio essentialis.

RESPONDETUR. Impossibilis est prædicatio in quale, quod sit quale quoad rem, & tamen in quid: quia quale quoad rem, est Accidens; Quid autem, semper est substantiale: possibilis tamen est prædicatio in quale, si quale sit non nisi ex modo concipiendi, quid autem seu substantiale quoad rem: jam autem Differentia est, quid adveniens ex modo concipiendi, non re ipsa; nam adveniens re ipsa, non potest prædicari in quid, qualia sunt omnia accidentia physica.

DICENDUM est 2. *Quando prædicatur Differentia in genere, non prædicatur ut Differentia; nec quando prædicatur de Specie; sed quando prædicatur de inferioribus specie, quam constituit, v.g. de Petro, Paulo.*

PROBATUR 1. Pars. Quia respectu generis, Differentia se habet vel per modum compartis, vel per modum inferioris: Differentia autem quando ut differentia prædicatur, debet dici per modum superioris.

PROBATUR 2. Pars. Quia respectu speciei Differentia non est quid superius, ergo nec de illa prædicabitur ut universale. Contra quando dicitur, hæc rationalitas est rationalitas, prædicatur quidem ut universale, sed non ut differentia.

RATIO. Quia prædicatur in quid; totum esse subjecti importando, adeoque prædicatur ut species.

PROBATUR 3. Pars. Quia respectu eorum
† K k 4 diffe-

differentia, & ut superius, & ut in quale quid dicitur.

OBJICITUR 1. Genus, cum prædicatur de specie, prædicatur ut Genus: Ergo etiam Differentia cum prædicatur de specie, prædicatur ut Differentia.

RESPONDETUR. Disparitatem esse, quia genus ad speciem, comparatur ut superius; Differentia autem, non comparatur ad speciem tanquam superius.

INSTABIS. Species, continet sub se plura & inferiora: Ergo quando differentia prædicabitur de specie, prædicabitur ut superius, quia de pluribus.

RESPONDETUR. Continere quidem speciem sub se plura, & quando prædicabitur de illa differentia, prædicabitur de eo, quod potestate continet multa, sed non prædicabitur tanquam continens quid illam speciem sub se, adeoque non prædicatur tanquam superius specie.

OBJICITUR 2. de specie, Differentia non dicitur ut singulare: Ergo ut universale.

RESPONDETUR. Dari medium, nempe prædicari tanquam convertibile & æquale.

OBJICITUR 3. De illo prædicatur Differentia ut Differentia, de quo immediate prædicatur, immediate autem prædicatur de specie.

RESPONDETUR. Immediate prædicatione universali dici differentiam de inferioribus speciei, quamvis prædicatione non universali, immediatius dicatur de specie.

DICENDUM est 3. *Quod Differentia generica & specifica non constituent duo diversa prædicabilia.*

PROBATUR 1. Quia nulla est necessitas, hocque ipso essent plura prædicabilia, quam quinque.

PROBATUR 2. Supremum & infimum genus, sunt idem prædicabile. Ergo & differentia generica, cum specifica.

PROBATUR 3. Quia utraque differentia, eundem prædicandi modum habet, quantumvis generica de pluribus prædicetur.

OBJICITUR 1. Genus & Species, constituunt duo diversa prædicabilia: Ergo & Differentia generica & specifica constituent etiam diversum prædicabile.

RESPONDETUR. Casum Antec. verum esse: quia alius est modus prædicandi generis, nempe in quid, partem materiale importando; jam autem species prædicatur in quid totale, jam autem idem modus est prædicandi, utriusque differentiarum.

OBJICITUR 2. Differentia specifica complete prædicatur; quia complete constituit individuum; cum tamen incomplete constituat Differentia generica.

RESPONDETUR. In hoc sensu complete constitui à Differentia specifica individuum;

quia scilicet nulla alia ratio specifica accedit individuo post illam; non tamen in hoc sensu, complete constituit individuum, quasi illud adæquate constituat, cum etiam genus constituat speciem; hocque sensu differentia specifica incomplete prædicatur, adeoque retinet eundem modum prædicandum cum differentia generica.

OBJICITUR 3. Differentia generica, comparatè ad specificam est constitutiva illius: Ergo specifica differentia respectu generice, habet rationem totius, illa verò rationem partis: Ergo & diversum prædicabile constituit.

RESPONDETUR. Differentia specifica, secundum quod est subiectionis, est per modum totius, sed non secundum quod est prædicabilis; quod si secundum quod est prædicabilis, non est per modum totius, hoc ipso, cum generica differentia eundem prædicandi modum habere poterit.

DIFFICULTAS II.

An una Differentia formaliter includat aliam.

DICENDUM est 1. *Quod una differentia formaliter accepta prout est à parte rei & physice, includat formaliter aliam.* Ita Nominales, Thom. & alii.

PROBATUR 1. Quia nulla datur distinctio formalis ex natura rei actu inter formalitates prout sunt à parte rei spectatas; esset autem, si una differentia formaliter accepta, non includeret aliam formaliter à parte rei: Ergo. Major probatur alibi.

PROBATUR 2. Omnis homo formaliter, est formaliter animal. Omne formaliter rationale, physice & prout est à parte rei spectatum, est formaliter homo: Ergo omne rationale formaliter, physice prout est à parte rei spectatum, est formaliter animal, adeoque est formaliter sensitivum; cum ipsum formaliter animal, sit formaliter vivens sensitivum. Major ex eo probatur, quia aliàs homo formaliter, non esset homo formaliter, cum ipsum homo formaliter, sit formaliter animal rationale; formaliter autem animal rationale, est formaliter animal. Minor eadem ratione probari debet.

PROBATUR 3. Quia in quantum una differentia formaliter non includeretur in alia actu à parte rei, hoc ipso multiplicarentur formalitates actu à parte rei; cujus multiplicationis nulla necessitas.

DICENDUM est 2. *Differentia superior formaliter sumpta, spectata tamen metaphysice quatenus subest nostris conceptibus fundamentum in re habentibus, non includit differentiam inferiorem.*

PROBATUR 1. Auc. Genus apud Aristot. 4. Top. cap. 2. loco 18. & 6. Top. loco 38. non includit differentias: Ergo nec generica Differentia, Differentias inferiores.

PROBA-

PROBATUR 2. Si Differentia superior includeret inferiorem, non posset præscindi ab illa, sed potest, ut dictum in materia de Præcisionibus: Ergo.

PROBATUR 3. Si Differentia superior formaliter sumpta includeret inferiorem, & sumeretur formaliter, (ut suppono) & non sumeretur formaliter; quia sumi formaliter, est sumi condistinctim ab iis; quæ non sunt ipsum; non sumeretur autem tunc condistinctim, quia formalitas unius, per te, esset formalitas alterius: hocque ipso non esset jam illa differentia generica, sed inferior; cum ratio generica formaliter, includeret formaliter rationem non genericam, hoc est inferioris.

DICENDUM est 3. *Quod inferior Differentia formaliter sumpta, non includat superiorem formaliter.*

PROBARI solet 1. Si Differentia inferior formaliter sumpta, includeret formaliter superiorem, omnis definitio esset vitiosa, quia bis in ea idem repeteretur; nam definitionis hujus. Homo animal rationale, esset iste sensus, Homo est animal, animal rationale. Deinde docet Aristot. bonam esse definitionem, si ponatur cum proximo genere Differentia infima, abjectis intermediis; quomodo autem abjici possunt, si formaliter includuntur? Denique bona est definitio quæ fit per omnes differentias à genericis descendendo ad specificam, quæ mala esset si formaliter in infima reliquæ includerentur; Jam enim non esset modus salvandi descensum genericæ differentiæ ad specificam.

RESPONDERI posset his omnibus probationibus quod non evincant; nam ne dicatur bis idem in eadem definitione repeti, sufficit rationem genericam, clarè & distinctè non exprimi, eritque hujus definitionis, Homo est animal rationale, sensus: Homo est animal, quod etiam includitur in rationali, poneturque infima differentia in definitione explicitè, abjiciendo intermediis, eritque genericæ differentiæ ad specificam descensus, secundum explicitam significationem, licet implicitè in illis involvantur; & sicut quamvis per omnes differentia superior includatur materialiter in inferiori, non sequitur in definitione nugaciter repeti differentias, aut illas abjici non posse, ita & in præsentī.

PROBARI solet 2. Si inferior differentia formaliter includit superiorem, sequitur, inferiorem, à specie, non esse distinctam; jam enim etiam genus, contineret in se differentia inferior.

RESPONDERI posset. Quod in re non distinguantur, distinguantur tamen per ordinem ad nostros conceptus, eò quod differentia, quæ differentia, debeat concipi per modum partis; Species per modum totius; item species postulat definiri, ponendo explicitè genus, v.g. Animal, in definitione hominis; differen-

tia autem non postulat definiri per genus explicitè positum.

PROBARI solet 3. Quia differentia, ut differentia est, solum debet esse principium differendi: Ergo differentia inferior, superiorem non debet includere formaliter; aliàs includeret rationem conveniendi; nam superior differentia, est ratio conveniendi.

RESPONDERI posset, quod differentia, ut differentia, quoad id quod dicit explicitè, debeat esse ratio differendi, non verò quoad id, quod dicit formaliter quidem, sed implicitè: & sicut non obest, ut differentia sit solum principium differendi, quantumvis materialiter involvat differentiam genericam, licet illa sit principium conveniendi; ita nec oberit, si illam implicitè dicat. *Hinc aliter*

PROBATUR Conclusio. Tum quia ratio communis sentiendi, non est ratio communis rugiendi, præscinduntque hæc à se: Ergo etiam cum ratio communis rugiendi, non sit ratio communis sentiendi, differunt enim definitionibus, præscindunt etiam à se, neque se includunt formaliter. Tum quia ratio rugitus, superaddit ex modo nostro concipiendi, id quod non habet ratio sensationis, aliàs hoc ipso non esset illa differentia inferior: tunc quæro secundum illam rationem quam superaddit, vel potest concipi vel non potest; si non potest concipi, ergo nec superaddit quicquam; nec tunc enim secum, Ens, & concipi; si potest concipi, ergo non includit jam illud formaliter; cum non sit formaliter illud ipsum, sed formaliter illi ipsi superadditum. Tum quia superaddita illa formalitas, vel est ipsum formaliter cui superadditur, vel non est ipsum formaliter; si non est ipsum formaliter: Ergo in inferiori non includitur formaliter superius; si est ipsum formaliter, ergo idem sibi ipsi superadditur, adeoque idem sibi ipsi non idem est, cum inter superadditum, & cui superadditur, debeat esse distinctio. Omnia hæc in hoc fundantur. Quia definitio inferioris differentiæ, non est formaliter definitio superioris Differentiæ.

DIFFICULTAS III.

Fundamenta in Oppositum.

OBJICITUR 1. Auctor. Aristot. qui 7mo Metaphys. tex. 43. docet. Differentiam infimam bene posse poni in definitione solam, eò quod includat superiores: appellatque illam totam rei substantiam; imò ipse Philosophus facit talem prædicationem, *fissio pedum est aliqua pedalitas*.

RESPONDETUR. Loqui Aristotelem de inclusionem materiali, non autem formali, estque differentia infima tota rei substantia; non totaliter, sed completivè ultimo; prædicatio etiam illa

illa pedalitatis de fisione, non habet hunc sensum, quod fisionis pedum definitio, ut sic; quod tamen requireretur, si differentia inferior, formaliter includeret superiorem, sed hoc solum significatur, quod species pedalitatis, sint pedes fissi.

INSTABIS. Differentia superior per Aristot. dividitur in inferiorem; Ergo includit illam formaliter, nam divisum includi debet formaliter in dividendis membris.

RESPONDETI solet communiter, quod inferior differentia dividat superiorem, materialiter sumpta, seu in quantum est species quæ formaliter includit genus suum: v.g. Animal rationale quod est species, includit formaliter Animal; sed inferior differentia non dividit superiorem, formaliter sumpta. Quod autem non nisi materialiter sumpta differentia dividat superiorem, hoc inde est, quia sensitivum non dividitur in rationalitatem & irrationalitatem, sed concretè dividitur in rationale & irrationale. Quanquam etiam dici posset, quod divisum non sit necesse ut formaliter includatur in ratione superaddita ipsi diviso.

OBJICITUR 2. Rugibile est formaliter sensitivum: Ergo differentia includit formaliter superiorem. Antec. prob. Rugibile seu rugibilitas, est formaliter principium sensationis, rugitus enim sensatio est.

RESPONDETUR. Rugibile est formaliter sensitivum, id est rugibile Metaphysicè spectatum, seu ratio communis rugibilis, est ratio communis sensitivi, Nego Antec. rugibile Physicè spectatum est formaliter sensitivum, Concedo Antec. & Nego Consequent. Addo Rugibilitatem non esse principium sensationis ut sic, sed talis; deberet autem Rugibilitas esse principium sensationis ut sic, quia esset idem formaliter cum sensitivo ut sic, quod sensitivum ut sic, est principium sensationis ut sic; Quæ responsio supponit, quod quando nos tractamus de differentiis formaliter acceptis, tractemus de rationibus illarum communibus.

INSTABIS I. ex Arriaga. Si rugibilitas distincta à sensatione per impossibile poneretur, esset formaliter virtus cujusdam sensationis: Ergo esset formaliter virtus sentiendi, ergo ulterius esset formaliter animalitas. Rursus rugitus est formaliter motus ab intrinseco: Ergo est formaliter vita in actu secundo.

RESPONDETUR. Disting. Consequens. Ergo esset rugibilitas formaliter virtus sentiendi, ita ut ratio communis rugibilitatis, sit ratio communis sentiendi: Nego Consequent. ita ut rugibilitas sit formaliter virtus sentiendi per sensationem contractam, determinatam &c. Concedo Conseq. à qua ut infra dicetur, non distinguitur formaliter: eodemq; modo de Vita Philosophandum.

INSTABIS 2. Impossibile est concipere Hominem, quin concipiatur Animal: Ergo etiam impossibile est concipere rugibilitatem, quin concipiatur sensatio.

RESPONDETUR. Id verum esse de sensatione contractè sumpta.

INSTABIS 3. Si præscinderet differentia rugibilis à sensatione, id idè esset, quia ratio communis rugibilis, non est ratio communis sensationis; sed hæc ratio non suadet differentiam rugibilis præscindere à sensitivo; quia ratio communis Hominis, non est ratio communis Animalis, & tamen homo non præscindit ab animali: Ergo etiam quantumvis ratio communis rugibilis, non sit ratio communis sensationis, non præscindit tamen rugibile à sensitivo.

RESPONDETUR. Negando minorem: & licet quidem ratio communis hominis, non sit ratio communis animalis præcise secundum rationem suam communem spectati, est tamen ratio communis hominis ratio animalis, sed contractè jam spectati, per additum rationale, à quo sic contractè spectato & in definitione posito non præscindit; sic etiam rugibile à sensatione contractè sumpta non præscinderet, quia nihil à se ipso præscindit; sensatio autem contractè sumpta, est ipsum rugibile; sed hic agitur de hoc, an à sensatione ut sic sumpta, præscindat rugibile, seu inferior differentia à generica differentia?

INSTABIS 4. Rugibile formaliter, vel est sensitivum formaliter, vel insensitivum formaliter, ergo est sensitivum formaliter.

RESPONDETUR. Retorquendo argumentum lapis vel est formaliter rationalis, vel formaliter irrationalis, non est formaliter irrationalis; quia formaliter irrationalis, quod non competit est formaliter sensitivum, quod non competit lapidi: Ergo est formaliter rationalis: & sicut in hac retorsione non tenet argumentum, quia rationale & irrationale non sunt contradictoria, hinc potest fieri ut neutrum membrum necessariò comperat, ita etiam nec sensitivum & insensitivum sunt contradictoria.

INSTABIS 5. Rugibile formaliter definitur per sensitivum, ergo ab illo abstrahere non potest.

RESPONDETUR. Rugibile formaliter prout est species, definitur per sensitivum, & sic non potest abstrahere à sensitivo, ut dixi, sed non prout est differentia formaliter; sub ratione enim differentia nihil definitur, cum definibile debeat constare genere & differentia, omne autem constans genere & differentia, est species.

OBJICITUR 3. Bonus est iste Syllogismus in Darapti. Omnis homo formaliter, est animal: Omnis homo, est formaliter rationalis: Ergo aliquod rationale, formaliter est animal.

RESPON-

RESPONDETUR. Hunc syllogismum non esse in forma: quia si per reductionem ad Darii revocetur, prodibit talis syllogismus. Omnis homo formaliter est animal, aliquod formaliter rationale est homo, ergo aliquod formaliter rationale est animal; in quo syllogismo formaliter rationale, & in minori, & in conclusione tenet se ex parte ly Rationale, estque omnino in forma. Positus autem iste syllogismus in Darapti conjungitur ly formaliter cum animal, cum tamen in præmissis non fuerit conjunctum cum ly animal.

OBJICITUR 4. Restaurando quasi argumentum supra positum. Omnis homo formaliter, est animal formaliter, omnis homo formaliter, est rationalis formaliter, ergo aliquod formaliter rationale est animal formaliter.

RESPONDETUR. Missis aliorum placitis. Omnis homo formaliter, est formaliter animal, qualiter ratio communis hominis sit ratio communis animalis irrestrictè accepti, Nego Majorem: Omnis homo formaliter, est formaliter animal, restrictè & contractè acceptum, Concedo Majorem; Distinctaque Minori, Nego Consequentiam.

OBJICITUR 5. ab Aversa apud Mastr. hic disp. 5. n. 150. Substantia dividitur in spirituales & corporeas, & hæ rationes spiritualis & corporei debent dici substantiales, quia si à tali ratione præscinderent, essent etiam dum dividitur, includitur in membris dividendis.

RESPONDETUR. Licet rationes spiritualis & corporei debeant dici substantiales, non ita tamen dicuntur, ut ratio communis spiritualis, sit ratio communis substantialis; si ratio communis spiritualis, non est ratio communis substantialis, hoc ipso præscindere à se possunt; idem dic de quantitate. Quamvis autem præscindant ratio spiritualis & corporei à substantiali, non erunt ex eo jam commune quid accidenti, sed tum primum erunt quid commune accidenti, spirituale & corporeum, si præscindant à substantiali in se inclusio.

INSTAT Idem. In tantum potest aliquod prædicatū præscindi à subjecto, de quo dicitur, in quantum etiam potest dici de alio; ut animal potest præscindi ab homine, quia potest dici de leone, ergo si datur propria differentia alicujus generis, ita quod nequeat alteri applicari, sanè non poterit ab eo præscindi.

RESPONDETUR. Negando causalem; sed id eo aliquid præscindit, quia non habet eandem definitionem.

OBJICIT 6. Idem. Saltem hæcceitas in communi, in ordine ad hunc & illum non nisi imperfectè præscindit, quia sine dubio quidquid est in singulis hæcceitatibus, essentialiter involvit talem conceptum.

RESPONDETUR. Cum per nos hæcceitas & individuum pro eodem sumantur objectivè,

cumque admiserimus infra, rationem communem omnibus individuis eamque perfectè præscindentem, idem dicendum de hæcceitate; quia etiam ratio communis hæcceitatis, non est ratio communis hujus hæcceitatis & è converso. Caterum sumendo hæcceitatem hanc, non pro differentia, sed pro specie, involvit genus secundum dicta supra.

OBJICITUR 7. Si differentia inferior includeret superiorem, esset actus purus, utpote entitas simplicissima; inferior item differentia esset suprema, quia nullam superiorem haberet quam includeret.

RESPONDETUR. Rationem actus puri esse prædicatū Physicum; non potest autem ostendi, quid differentie competat physicè, ratio actus puri. Dicitur etiam solet, non esse actus purus differentias infimas; quia licet careant compositione ex his, non carent tamen compositione cum his; hinc præsupponunt tanquam aliquid materiale differentias superiores, imò sine illis, tanquam sine præsuppositis intelligi non possunt; non sunt item differentie inferiores genera suprema, quia ad rationem supremam requiritur, sub se potestate habere plura, quod non competit differentie infimæ; est item necesse ut suprema differentia, nec materialiter præsupponat ante se priorem, præsupponit autem infima.

QUÆSTIO III.

De Specie.

DE ipsa specie, nihil admodum disputabile dicitur, sed de Individuis, restabunt quædam expendenda.

EXPLICATUR I. *Nomen speciei.* Species ex primitiva acceptione, non aliud est, quam pulchritudo quædam, unde & speciosum vocatur pulchrum: transtulerunt hoc nomen Philosophi, ad significandum concretum ex genere & differentia, appellaruntque illud speciem: cum enim genus sit turpe quoddam & informe, utpote se habens per modum materie, decoratur, formatur, speciosum fit, accessu differentie, quæ differentia pulchritudo generis dicitur, & species pulchrum. Porro cum concretum hoc ex genere & differentia, comparari possit tum ad genus, tum ad differentiam, tum ad individua, hinc & ratio speciei illius seu pulchritudo ad hæc omnia se extendit, & respectu generis dicitur species pulchrum, imò & pulchritudo in abstracto, eo quod in ea genus pulchrum, formatum differentiâ & completum appareat. Rursus comparatum hoc concretum ad differentiam, est etiam pulchrum, quia ipsa differentia est etiam pulchritudo completiva & perfectiva generis. Denique si comparatur idem concretum ad individua, erit pulchritudo illorum absolutè; species enim infima, est tota essentialis perfectio individuum.

EXPLI-

EXPLICATUR 2. Divisio Speciei. Dividitur species in Primointentionalem, seu prout species sumitur pro natura totali Metaphysicè completa, & in Secundointentionalem, seu prout à Logica species considerabilis est. Rursus secundointentionalis alia est species subijcibilis seu pro subiecto ponibilis; alia prædicabilis, seu pro prædicato ponibilis. Deniq; dividitur in speciem subalternam, & infimam. Subalternam est, quæ respectu superiorum quibus subijcitur, species est, respectu autem inferiorum, est genus; & quia hæc ut genus prædicatur, ideo non potest ei convenire ratio speciei, nisi in quantum subijcibilis est. Species autem infima est, quæ tantum sub se individua habet, potestque & subijci & prædicari.

EXPLICATUR 3. Definitio Speciei. Speciem subijcibilem definit Porphyrius. Est quæ subijcitur generi, & de qua genus in eo quod quid est prædicatur: duæ hic sunt definitiones, sed per modum unius, ab auctoribus sumuntur. Species autem prædicabilis, est id quod de pluribus differentibus numero, in eo quod quid est prædicatur.

DICES 1. Committitur hic circulus vitiosus; alibi enim genus definit Porphyrius, esse id, quod sub se habet species, nunc autem definit speciem, quod sit sub genere; estque hæc similis definitio huic, si quis definiret Patrem, & diceret, pater est qui habet filium; definendo autem filium diceret, filius est qui habet patrem.

RESPONDETUR communiter. Non committi hic circulum, quia genus positum in definitione speciei, non ponitur ut cognitum per speciem, sed ut cognitum aliunde; hinc genus Porphyrius etiam aliter notificat, dicendo illud esse id, in quo species cognationem habent, quod est aliunde cognoscere genus, & non ex sola specie &c. quanquam nihil vetat unum relativorum cognosci per aliud, vel unà cum alio; relative autem se habent, genus & species.

DICES 2. Hæc definitio convenit etiam individuis; nam & ea subijciuntur generi: Ergo ista definitio est mala.

RESPONDET Arriaga, esse bonam, si subintelligatur, quod species immediatè subijciatur, mediatè individua.

CONTRA est ex Oviedo. Animal de homine dicitur immediatè, & de eodem non nisi mediatè dicitur corpus, & tamen hoc non obstante, & corpus prædicatur ut genus, & animal. Ergo etiam quantumvis immediatè subijciatur generi species, & mediatè individua, non oberit, quominus individua sint species subijcibilis, cum illis etiam competat subijci generi.

RESPONDET 2. Oviedo n. 5. addendas hic esse ad definitionem has particulas, quod species sit natura multiplex physicè & intentionaliter una, quæ generi subijcitur.

RESPONDETUR 3. ab aliis. In definitione illa speciei subijcibilis, subintelligi ly Universale, ut ita currat definitio, species subijcibilis est universale, quod subijcitur generi; de individuo autem non potest dici quod sit universale.

CONTRA utramque hanc responsionem est. Imprimis, quia species subijcibilis quæ talis, etiam per Oviedo n. 10. non est universale: Ergo frustra ad eam definiendam pro genere addetur ly universale. Tum quia species subijcibilis, non habet abstractionem debitam universali; abstrahitur enim à genere tanquam à parte, universale autem ab inferioribus abstrahi debet; nec potest ex eo poni universale pro genere in definitione speciei subijcibilis, quia species subijcibilis est universale materialiter; nam & individua sunt materialiter universalis, quando eandem rationem communem participant, & tamen non possunt definiri per ly universale. Tum quia nullum est fundamentum asserendi, speciem subijcibilem esse verè universalem; quod enim dicitur ly universale, dividi per speciem subijcibilem & prædicabilem, hoc falsum est; species enim quæ dividitur in subijcibilem, & prædicabilem, est indifferens ut sit formaliter vel materialiter universalis species illam dividens; imò quantumvis species subijcibilis sit inferius universali, non sequitur illam esse universalem; est enim inferius etiam singulare, respectu universalis, & tamen singulare non est universale. Nec dubium est, quod species subijcibilis & prædicabilis, ad nomen speciei, habent se tanquam membra æquivoca; nunquam enim species subijcibilis quæ talis, habet sub se inferiora, adeoque nunquam est universalis: cum tamen species prædicabilis habeat, sub se inferiora: hinc quando species subijcibilis prædicatur, & de hac, & de illa specie subijcibili, non prædicatur ut subijcibilis est formaliter, sed prout induit rationem prædicabilis.

RESPONDETUR 3. Cum Hurtado, Bonam esse prædictam definitionem, si per illam priorem partem, quod scilicet species est quæ subijcitur generi, intelligatur ly soli; Certè enim individua non soli generi, sed & speciei subijciuntur.

DICES 3. Nulla est species prædicabilis, ergo mala est divisio in subijcibilem & prædicabilem. Antec. prob. Auctoritate Aristot. qui dicit in Top. speciem semper subijci.

RESPONDEO, & dico: Speciem semper subijci, quando de ea sunt problemata & quaestiones, sed non subijcitur in quantum respicit inferiora.

INSTABIS 1. Ex mente Aristotel. species est substantia completa, ergo non potest esse in alio, ergo nec dici de alio, ergo & nulla est prædicabilis species.

RESPONDETUR. Speciem non posse esse in alio tanquam in subiecto inhaerentis, licet sit in alio tanquam in subiecto prædicationis.

INSTA-

INSTANS 2. Ex mente ejusdem, species componitur ex genere & differentia: Ergo prædicatur ut genus & differentia, ergo in quale quid, & quale: Ergo ulterius nulla datur species prædicabilis, quæ sit in quid prædicabilis.

RESPONDETUR. Species ita componitur ex genere & differentia, ut constituatur ex illis totum; non enim species est genus & differentia, sed totum ex illis compositum; inde quamvis sigillatim acceptum genus prædicatur in quid, & differentia in quale, quando tamen jam unitim accipiuntur, hoc ipso prædicabuntur non in quale quid vel quale, sed poterit prædicari in quid totaliter.

DICES 4. Est in oppositum Auctoritas Theologica. Docent Theologi, ly Deus dici de Patre, dici de Filio, dici de Spiritu Sancto, & quidem in quid: cum tamen Deus, non sit species.

RESPONDET S. Thom. ly Deus non dici de Personis tanquam aliquid in illis, de quibus dicitur personis multiplicabile; consequenter non dici tanquam universale, hinc autem agimus de Prædicatione Naturæ multiplicabilis.

DICES 5. Species dicta de individuo non dicit rationem individui, ergo species non tanquam totum quid prædicatur.

RESPONDETUR. Disting. Consequens. Non tanquam totum quid prædicatur species, si subiectum de quo fit prædicatio Physicè spectatur. Conced. Nam in statu Physico, non solum dicit naturam, sed etiam hæcceitatem; si subiectum hoc spectetur Metaphysicè, hoc est solum secundum essentialia prædicata non dicit species totum, nego Conseq. Dici etiam potest speciem prædicari tanquam totum, inferendo substantialia prædicata, non autem accidentalia; ratio autem individui, est quid accidentale.

DIFFICULTAS I.

De Individuo primo intentionaliter sumpto.

Individuum non est idem quod indivisibile; Indivisibile enim accipitur pro eo quod caret omni extensione: Individuum autem vocatur natura singularis non divisa in plures tales. Hoc individuum considerari potest, vel secundum quod natura singularis est; & ita acceptum est individuum primò intentionaliter; vel considerari potest secundum quod subijcibile & prædicabile est, & sic acceptum est individuum secundointentionale. Individuum primointentionaliter sumptum, descripsit Porphyrius; est id cuius omnes simul proprietates alteri convenire non possunt; descripsit inquam, quia saltem divinitus, duobus individuis simul proprietates eadem convenire possunt, porro hæc acciden-

tia ad quæ attendit Porphyrius, hoc Versu inclusit Boëtius:

Forma, Figura, Locus, Tempus, cum Nomine Sanguis,

Patria, sunt septem, quæ non habet unus & alter.

Individuum secundointentionaliter acceptum, descripsit idem, quia prædicabile est, est id quod de uno solo prædicatur; quæ verò subijcibile, est id quod continetur sub specie. Metaphysica individuum primointentionale correctius pro Porphyrio describit: quod sit Ens ex natura specifica & hæcceitate compositum, quid autem illa hæcceitas, alibi dicitur.

An possit dari ratio communis omnibus individuis?

DICENDUM est. *Dari rationem communem omnibus individuis:* est Conclus. Suarii. Disp. 6. sect. 8. n. 14 & 15. Arriaga, Hurtadi, Contra Fonseca. Tolet. & alios. Oviedo in sententia præscindentium tantum ex parte actus, dicit, posse dari rationem communem omnibus individuis, non tamen in sententia præscindentium ex parte objecti.

PROBATUR 1. ex Arriaga. Possumus concipere omnia individua, quatenus sunt similia in hoc, quod sint indivisa in se, & divisa à quolibet alio; in hoc enim non distinguuntur, quantumvis disconveniant in ratione talis individui; Ergo potest dari ratio communis omnibus individuis.

PROBATUR 2. Quia quæcunque ratio ostendit dari rationem communem præcisam ex parte objecti in aliquibus prædicatis, eadem ostendit dari rationem communem omnibus individuis.

PROBATUR 3. Tum quia vel omnia individua habent hoc quod sint indivisa in se, & divisa à quolibet alio, vel non omnia habent, si non omnia, ergo non omnia individua; si autem omnia sunt talia: Ergo datur ratio communis omnibus individuis, id enim intelligitur nomine rationis communis. Tum quia quando negas dari rationem communem omnibus individuis, id quod negas, vel negas de omnibus individuis vel de aliquibus; si de aliquibus, ergo tibi non constas; hoc ipso enim non negas dari omnibus communem rationem, sed non nisi aliquibus; si de omnibus hoc negas, ergo est illis dabilis ratio communis, infirmabunturque argumenta, quæ supponunt, in nulla ratione posse illis dari rationem communem. Tum quia hæc propositiones: Omne individuum est ratio indivisa in se & divisa à quolibet alio; aliquid individuum non est ratio indivisa in se & divisa à quolibet alio, hæc inquam propositiones sunt contradictoriæ, in quibus particularis est falsa, nam poneret definitum, & negaret definitionem: Ergo ve-

† Ll

racf-

ra esset affirmativa universalis: Ergo ulterius dabitur ratio communis omnibus individuis, quia datur propositio universalis de illis verificabilis; ratio autem communis, & propositio universalis affirmabilis, verbis differunt. Tum quia si non daretur ratio communis omnibus individuis, non posset unquam poni argumentum in forma, quod Petrus sit individuum; quia hoc argumentum deberet habere propositionem universalem, ne argumentum constet ex particularibus; propositionem autem universalem non posset habere, quia non potest haberi ratio communis omnibus individuis; quæ duo Verbis differunt. Tum quia, si non daretur ratio communis omnibus individuis, hoc inde esset, quia non esset ratio per quam individuum esset indivisum in se, & divisum à quolibet alio. Sed hæc ratio probat dari rationem communem omnibus individuis; quia adfert definitionem omnium individuorum, definitio autem omnibus individuis competens, est ratio communis eorundem.

OBJICITUR 1. Si posset ratio communis individuis abstrahi ab individuis, abstracta illa ratione communi, posset adhuc iterato abstrahi ratio communis, & sic in infinitum. Si autem non potest abstrahi iterato ratio communis, ergo dicam illam potius esse differentiam individualement, à qua jam non potest abstrahi ratio communis.

RESPONDETUR. Fundamento sumpto ex Hurtado: abstracta intentionaliter ratione communi, jam ulterius non posse abstrahi rationem communem, sicut abstracta ratione animalis à rationali, jam in esse intentionaliter, ita representato rationali, non potest abstrahi animal. Quod autem abstracta ratione communi individui non sit ulterius abstrahibilis ratio communis individui, hoc non inde est, quasi per abstractionem magis illa differentia sint in re & Physicè individua; sed quia sunt magis in conceptu & intentionaliter individua; cum in illis maneat sola tantum ultima ratio differendi, & nulla jam ratio communis; præcipue quia apud me, præcisiones objectivæ dantur tantum secundum rationes contractas, non verò secundum rationes contractas, prout contractæ sunt; cum ergo jam tunc nulla maneat intentionaliter ratio communis individuis, nihil etiam manebit, quod præscindi possit. Cæterum quia in re etiam post meam præcisionem remanet illa ratio communis, ideo poterit iterato ab alio intellectu, imò & ab hoc abstrahi ratio communis, quantumvis non sub hac formalitate, sub qua jam concipitur esse abstracta ratio communis.

OBJICITUR 2. Quia si individuatio numerica quæ talis, esset ratio communis pluribus individuis quæ talibus, non esset ratio individuis iisdem differendi à se invicem, sed solum con-

veniendi; sed individuatio numerica, quæ talis, est ratio differendi: Ergo individuatio numerica quæ talis, non est ratio communis.

RESPONDETUR. Concedendo totum; nam ratio individui, non sub formalitate quæ talis est, sed sub formalitate, sub qua omnia individua, eodem modo sunt definibilia, sub qua conveniunt, & similia sunt, potest habere rationem communem. Concedo ulterius individuationem esse rationem ultimam differendi, nec esse sub ratione ultimæ, rationem conveniendi, sed sub alia formalitate ut dixi, in quantum scilicet sunt similia in definitione conceptuque communi.

INSTABIS. Ergo hæc ratio numerica quæ talis, contrahet rationem illam communem individui.

RESPONDETUR. Contrahet contractione materiali, non verò contractione formali; contrahet inquam contractione materiali, quia non adfert illa ratio ultima, ullum prædicatum, nisi quod sit per modum particularis; ad eum modum, quo unitatem, ut sic, hæc unitas contrahit, bonitatem ut sic, contrahit hæc bonitas; cæterum ratio illa ultima, non contrahit rationem communem individui, non contrahit inquam formaliter, quia non adfert prædicatum aliquod specificum; hinc rationale comparatum ad animal, non est ratio particularis ad animal, quia adfert prædicatum specificum, non adfert autem prædicatum specificum hæc individuatione, rationi communi identificationis.

INSTABIS 2. Ergo hæc ratio ultimo differendi illam rationem communem individuis ita contrahet, sicut ipsa ratio individui contrahet rationem specificam; contrahit enim illam contractione materiali.

RESPONDETUR. Contractiones dictas esse sibi in aliquo similes, dissimulantur tamen in hoc, quia ratio illa individui communis, contrahitur per se ipsam reduplicativè acceptam; hoc est, ratio individui, per individuum, quia individuum est; contractio autem quæ fit per individuationem, respectu speciei, non est per idem reduplicativè acceptum. Consequenter nec ratio individui contracti, est species rigorosè; quia tunc illud quod est contrahibile per differentias individuales, habet rationem speciei, quando contrahens, non est reduplicatio contracti, ut supra dixi, sed adfert rationem particularem, non eodem nomine & conceptu gaudentem; rationem autem communem ut dixi individuationis, contrahit ratio individuationis, quæ individuatione est, adeoque quæ contrahens, est reduplicatio contracti.

OBJICITUR 3. Hæc ratio communis individuis, & esset communis, & non esset communis; esset ut dicitur, non esset; quia singularis esset, ideo autem singularis esset, quia formalitatem individui haberet; sed absurdum est di-

cere,

cere, idem esse commune, & non esse: Ergo ratio communis individui non datur.

RESPONDETUR. Diverſo reſpectu illam rationem communem eſſe ſingularē, & diverſo reſpectu communem; eſſet communis, in quantum in ea ratione omnia aſſimilantur individua, & eſſet ratio ſingularis, in quantum eſt idem realiter cum ratione conceptum communem individui contrahente.

OBJICITUR 4. Si daretur ratio individui communis, poſſet concipi v. g. natura humana cum hac ratione communi individui; compositum autem illud ex ratione communi individui, neq; eſſet ſingulare, aliās illa ratio communis individui, non eſſet ratio communis; neque eſſet comune quid illud compositum, cum jam illi eſſet ratio individuationis conjuncta. Quæ omnia ſunt abſurda.

RESPONDETUR. Illud compositum (quod nonniſi per rationem fieri poteſt) fore commune: tunc autem compositum ex ratione ſpecifica & individui non eſt commune, quando illi conjungitur ratio ultima, qua ultima eſt differendi. Hinc ratio communis individui, inter ſpeciem, & ſe, in quantum eſt ultima ratio differendi, habet ſe per modum medii per rationem facti, licet in re hæc ratio communis, non mediet inter ſpeciem & individuum, quæ individuum eſt.

OBJICITUR 5. ex Oviedo. Differentia individualis non eſt reſolubilis in duos conceptus, quorum unus ſit ultima differentia, alter verò ratio conveniendi cum aliis differentiis: Ergo non poteſt dari conceptus communis omnibus individuis. Antec. prob. Quia ſi in Petreitate v. g. aſſignes duos conceptus formaliter inter ſe diſtinctos, unum, ex vi cujus conveniat cum Pauleitate, & alterum, ex vi cujus differat; differentia individualis, conſtituetur adæquatè in illo ultimo conceptu, quo differt à Pauleitate.

RESPONDETUR. Neg. Antec. Probationem ejus diſtinguo. Differentia individualis, ſi ſumatur quæ individualis, quæ ultima, quæ reſolutive accepta &c. conſtituitur illo conceptu quo tantum differt. Conc. Antec. Differentia individualis ſpecificative accepta & quæ eſt una definitione definibilis, conſtituitur adæquatè illo ultimo quo differt, Nego Antec. & Conſequentiam.

DIFFICULTAS II.

De Definitione Individui Secundo. Intentionalis.

DICENDUM eſt. Bonas eſſe adlatas ſuperius definitiones individui. Omni enim, ſoli, & ſemper individuo conveniunt.

OBJICITUR 1. ex Ariſtot. qui 7. Metaph. cap. 17. dicit non poſſe individua definiri, ſicut nec aliquid de illis ſciri.

RESPONDETUR 1. ad hunc locum. Individua non ſciri ordinariè, nec definiri, licet interdum definiri & ſciri poſſint.

RESPONDETUR 2. Conſequenter ad diſta. Individua ſecundum rationes communes ſpectata poſſe definiri, licet non ſecundum rationes contractas; hæc enim nobis ignora.

INSTABIS ex eodem. Qui in Anteprædicam c. 2. docet individuum de nullo ſubjecto prædicari: Ergo falſum eſt, individuum de uno ſolo dici.

RESPONDET Toletus. Individuum ut ſic de individuo hoc prædicari identicè in re, ſed non identicè formaliter, hocque voluit Ariſtoteles. Diſtinctio ſic explicatur, Ratio propoſitionis identicæ, non ex eo ſpectanda eſt, quia habet identitatem realem cum ſubjecto; aliās omnes prædicationes verè identicæ eſſent; omnes enim important identitatem Prædicati cum Subjecto; ſed ratio formaliter identicæ propoſitionis ſpectanda eſt, ſi prædicatum non aliter concipiatur, quàm conceptum ſit ſubjectum; aliter autem concipitur ſubjectum aliter prædicatum, cum dico v. g. Petrus eſt individuum: Conſequenter hæc prædicatio, non eſt identica formaliter.

DICI & hoc poteſt. Individuum in actu ſignato, quatenus in actu ſignato eſt, non de uno ſolo prædicari. Cæterum individuum in actu ſignato, non tamen de actu ſignato, ſed pro actu exercito acceptum, de uno ſolo prædicatur. Explicatur hoc ipſum. Individuum ſumitur in actu ſignato, & pro actu ſignato, quando ſumitur ſecundum rationem ſuam communem, ſecundum quam rationem, non de uno ſolo individuo dicitur, ſed & de hoc, & de hoc, &c. imò prædicatur, quodammodo velut quædam ſpecies de inferioribus: individuum autem ſumptum in actu ſignato, ſed non pro actu ſignato, ſed pro actu exercito, eſt: quando per rationem communem omnibus definiuntur individua ſigillatim; ſeu clariùs, quando definiuntur ſingula individua diſtributive, diſtributive autem accepta ſingula individua, nonniſi de uno dicuntur; v. g. de hoc homine, nonniſi hoc individuum Petri: & de illo homine, nonniſi illud individuum Pauli dicitur &c. Quoad locum Ariſtot. attinet, vi hujus diſtinctionis debet conſequenter individuum de nullo ſubjecto dici univerſaliter, ſi accipiat ratio illa communis, pro actu exercito individui.

OBJICITUR 2. Quod non eſt ſpecies, non poteſt definiri; individuum non eſt ſpecies: Ergo.

RESPONDETUR. Quod non eſt ſpecies non poteſt definiri definitione rigoroſa, conſtante verò genere & vera differentia idque univocis: poteſt tamen definiri definitione non rigoroſa, accipiendo pro genere v. g. particulam Id, Quod, & cætera loco differentia apponendo.

OBJICITUR 3. Hoc genus v.g. Animal prædicatur de pluribus, scil. & de hac & de illa specie; sed hoc genus est individuum: Ergo aliquod individuum prædicatur de pluribus.

RESPONDETUR. Hoc genus non quia hoc est, prædicatur de pluribus, sed quia genus.

DIFFICULTAS III.

De Individuo Vago.

INDIVIDUUM determinatum est v.g. hic homo. Individuum autem vagum est, v.g. aliquis homo; vagatur enim & per Petrum, & per Paulum &c. quia & Petrus est aliquis homo, & Paulus est aliquis homo. De hoc Individuo agemus hic.

QUÆRITUR 1. *An detur Individuum Vagum?*

RESPONDETUR. *Dari.*

RATIO. Quia communiter supponitur, quod subcontrariæ propositiones in materia contingenti, possint esse veræ, veræ autem jam non essent, si individuum vagum tolleretur: & sic v.g. in hac propositione aliquis homo bibit, aliquis homo non bibit; si non sumatur ly homo pro individuo vago, sed pro Petro, certè si verum est de Petro quod bibat, falsum erit quod non bibat, consequenter falsum erit subcontrarias propositiones in materia contingenti ambas posse esse veras; consequenter si non datur individuum vagum, tollitur tota suppositio confusa. Hæc ex communi suppositione.

QUÆRITUR 2. *Quid sit individuum vagum?*

RESPONDETUR. Est individuum indeterminatè cognitum, aut volitum, explicabile per particulam disjunctivam, Vel, v.g. aliquis homo bibit, vel Petrus, vel Stanislaus.

QUÆRITUR 3. *Quotuplex sit individuum vagum?*

RESPONDETUR. Duplex esse Determinatum, & Indeterminatum. Determinatum individuum vagum est, quod explicando per particulam *Vel*, tandem ad aliquod certum devenietur, ut cum dico: aliquis non attendit, vel hic, vel hic, vel hic, sed non hic, ergo ille. Hæc explicatio vocata est in Dialecticis Descensus disjunctivus. Indeterminatum autem individuum vagum est, quod explicando per particulam *Vel*, nusquam ad determinatum devenitur, v.g. aliquis calamus adscribendum est necessarius, vel hic, vel hic, vel hic; nullusque futurus talis ut ille solus, & non alius sit necessarius. Hæc explicatio in Dialecticis vocatus descensus disjunctus.

QUÆRITUR 4. *An in divino intellectu possit esse individuum Vagum?*

RESPONDETUR. Determinatum Individuum Vagum, non potest esse in divino intellectu.

RATIO. Quia illud oritur ex imperfectione intellectus, quod v.g. Petro occiso, si nesciatur Petrus esse occisus, oritur hoc inquam ex imperfectione intellectus, quod dicatur: aliquis homo est occisus. Indeterminatum autem Individuum Vagum, potest esse in divino intellectu. Ratio est: quia si in divino intellectu non daretur tale Individuum, divinus intellectus, res cognosceret non secundum exigentiam illarum; quod absurdum est, Sequel. probatur. Si Deus rem quæ in se non habet ullum prædicatum, ratione cuius præferri alteri potest, cognosceret tanquam præferendam, cognosceret rem non secundum exigentiam subiecti; sed si in divino intellectu non daretur individuum Vagum, Deus rem quæ in se non habet ullum prædicatum, ratione cuius præferri alteri potest, cognosceret tanquam præferendam: Ergo si in divino intellectu non daretur individuum Vagum, Deus non secundum exigentiam subiecti cognosceret. Minor probatur. In hac propositione, aliquod sacrum est necessarium, ad satisfaciendum præcepto, si Deus determinatè cognosceret aliquod Sacrum præ aliis necessarium, præferret unum alteri Sacro, cum tamen unum præ alio, nullum prædicatum ratione cuius alteri præferri debeat, haberet. Deinde potest divina voluntas indeterminatè aliquid præcipere, ut v.g. oblationem duorum pullorum columbarum, vel paris turturum: Ergo & intellectus divinus indeterminatè illa cognoscere, cum ita præcipiat voluntas divina, sicut prælucenti apparet intellectui.

QUÆRITUR 5. *Quomodo prædicetur individuum Vagum?*

RESPONDETUR. Individui Vagi prædicationem, non posse propriè reduci ad universalem; quia hic terminus, aliquis homo, non significat rationem communem à differentiis abstractam, sed significat plures & distinctas. Disjunctio enim illa quam adfert ly Aliquis, extremorum distinctionem indicat, saltem tamè impropiè revocari potest ad Universaliam, id quomodo fiat explano. Ly Aliquis vel quidam additum generi, deiecit illud à ratione generica ad speciem: v.g. ly Animal significat genus, si addidero illi ly aliquod, hoc ipso jam rationem specificam designabit. Ly Homo est species, si illi addatur ly Aliquis, non speciem, sed individuum significabit. Dico itaque, si genus subalternum contrahatur per terminum Aliquis, erit prædicatio generis Vagi, si genus immediatum & proximum contrahatur per terminum Aliquis, erit prædicatio speciei Vagæ; si species contrahatur per terminum Aliquis, erit prædicatio individui de individuo; & hæc prædicatio procedit quando est prædicatum Vagum in materia necessaria, nam in materia contingenti, prædicatum Vagum, semper est individuum Vagum.

QUÆ.

Disputatio IV.

QUÆSTIO IV.

125

De Proprio.

Proprium Quadruplex est. 1. Quod accidit alicui naturæ soli, sed non omni; ut homini esse medicum. 2. Quod convenit omni sed non soli; ut convenit homini esse bipedem. 3. Quod convenit omni soli; sed non semper; ut convenit homini canescere propter curas, quamvis interdum aliqui cum curis, non canescant. 4. Quod convenit omni, soli & semper; ut homini esse risibilem, hocque vocatur proprium quarti modi.

DICES 1. Supponantur corrumpi omnia alba, relinquatur sola nix, eo casu nivi soli, omni, & semper, conveniet albedo, & tamen albedo non est proprium nivis: Ergo proprium quarti modi non recte definitur quod competat omni, soli, & semper.

RESPONDETUR. Solis nivibus ex accidenti tunc competet albedo, sed non ex intrinsicis principiis, quæ neant albedinem cum nive.

DICES 2. Lux est proprietas Solis quarti modi, & tamen convenit non Soli tantum, sed & candelæ.

RESPONDETUR. Proprietates genericas, non convenire Soli, secus specificas: jam autem lux est proprietas generica Solis, adeoque distincta à Sole conveniens, quantumvis lux solaris sit proprietas illius quarti modo, & nulli alteri competens.

DICES 3. Differentia convenit soli, omni, & semper; & tamen non est Proprium: Ergo mala est prædicta definitio Proprii.

RESPONDETUR. Cum Differentia non accadat speciei, sed illi sit essentialis, accadat autem Proprium, recte inferetur, quod distincta sit differentia à Proprio.

Præter positas divisiones Proprii, dividitur adhuc Proprium quarti modi, in Proprium Primointentionale, & Proprium Secundointentionale, & quidem incipiendo.

De Proprio Primo-Intentionaliter.

QUÆRITUR 1. Quid sit Proprium primo intentionaliter?

RESPONDETUR. Esse accidens quod convenit omni, soli & semper.

QUÆRITUR 2. Quotuplex sit Proprium primo intentionaliter acceptum?

RESPONDETUR. Proprietates aliæ sunt Physicæ, aliæ Metaphysicæ. Proprietates Physicæ distinguuntur realiter ab essentia à qua dimanant, ut frigus ab aqua. Metaphysicæ autem proprietates sunt, quæ non nisi sola ratione ab essentia distinguuntur. Prioribus illæ proprietates semper conveniunt subiecto, si causæ naturales spectentur, & absit violentia; sicut a-

qua semper est frigida, si absit extrinsecum calefactivum.

QUÆRITUR 3. Quod sit signum Proprii quarto modo?

RESPONDETUR. Proprii qualiscunque signum est, si postulet definiri per subiectum: ex 1. Poster. c. 4. & ita simum, est proprietas nasi, cum definiri per nasum postulet; non est tamen hoc signum Proprii quarto modo; certè enim finitas non omni naso convenit: Signum itaque Proprii quarto modo est, si conveniat per se subiecto, si sit adæquatum principio, seu essentia à qua profluit, ita ut de illa conversim & reciproce dici possit v. g. Omnis homo est risibilis, & omne risibile est homo.

DICES. Proprietas quarti modi effluit ex essentia: Ergo non convenit semper.

RESPONDETUR. Proprietas Metaphysica quarti modi, sicut ex modo non nisi concipiendi effluit, ita & ex modo non nisi concipiendi est non semper cum essentia, in re autem semper est cum illa; quod sufficit ad salvandum, quod Proprium semper conveniat. Proprietas autem Physica effluit ex essentia, sed effluxu qui in re simul sit tempore cum essentia, adeoque adhuc conveniet semper, modo causæ naturales non impediantur.

De Proprio Secundo-Intentionaliter.

QUÆRITUR 1. Quid veniat nomine Proprii Secundo-Intentionaliter?

RESPONDETUR. Venire Proprium pro universalis prædicabili acceptum.

QUÆRITUR 2. Quæ sit Definitio Proprii secundum quod est Universale quoddam prædicabile?

RESPONDETUR. Esse universale, quod prædicatur de pluribus in Quale accidentale, profluens necessario ab essentia. Non definitur Proprium per hoc, quod sit convertibile cum subiecto; quia risibile licet sit convertibile cum essentia hominis, non est tamen convertibile cum iis de quibus prædicatur; quia licet verum sit, Petrum esse risibilem, falsum tamen est risibile, esse Petrum. Idem alia phrasi dici potest, quod scil. Proprium non sit convertibile cum subiecto, de quo dicitur, sed tantum cum essentia subiecti, secundum se spectata.

QUÆRITUR 3. De quibus Proprium Universaliter prædicetur?

RESPONDETUR. Non prædicari Proprium de Natura universaliter; quia respectu illius non se habet proprium ut superius quid, sed se habet tantum ut convertibile, & æque latè patens. Prædicabitur ergo universaliter de inferioribus naturæ, v. g. risibilitas de Petro, Paulo, &c.

DICES 1. Implicat idem esse Proprium, & Commune; commune enim multa respicit: Proprium autem excludit multa: Ergo Proprium non potest esse universale.

† Ll 3

RESPON-

RESPONDETUR. Implicat idem esse Proprium & Commune, eodem respectu, secus diverso. Unde etiam proprium, erit proprium Naturæ; proprium autem prout universale, erit respectu suorum subiectorum.

DICES 2. Non potest prædicari, de multis ut proprium, quod non est multis proprium; Sed Proprium quarto modo, non est multis proprium, sed uni naturæ: Ergo nec potest prædicari de illis.

RESPONDETUR. Non potest prædicari de multis ut Proprium, quod ita multis non est proprium, ut nec sit essentiæ multorum proprium; licet ita prædicari possit, si sit proprium essentiæ multorum: & ita risibile est proprium animalis rationalis, quod est commune suis individuis.

DICES 3. Vidiætorum sequi, quia & prædicaretur Proprium Universale; est enim unum ex quinque Universalibus, & non prædicaretur Proprium Universale; quia nec habet modum prædicandi sibi debitum, & respectu eorum, respectu quorum prædicatur universaliter, respectu inquam eorum, non est proprium.

RESPONDETUR. Sufficere, quod sit proprium respectu naturæ eorum, de quibus universaliter dicitur. Habet etiam modum prædicandi sibi Proprium, quia prædicatur in Quale accidentale, necessario ab essentiâ profluens.

QUÆSTIO V.

De Accidente.

Sicut Proprium, ita & Accidentis, dupliciter sumi potest; nempe pro Accidenti Primo-Intentionaliter; & pro Accidenti, Secundo-Intentionaliter.

De Accidenti Primo-Intentionaliter.

QUÆRITUR 1. Quid sit Accidentis primo-intentionaliter acceptum? Definit illud Porphyrius. Accidentis est id, quod potest adesse & abesse sine subiecti corruptione.

QUÆRES 2. Quomodo intelligenda hæc sit definitio? ratio dubitandi; quia dantur Accidentia, quæ non possunt sine subiecti corruptione adesse, ut morbi, mors, vulnera; sunt etiam aliqua quæ non possunt abesse sine subiecti corruptione, ut sexus ab animali, simitas à naso, albedo à nive. Multis hic agitur ab aliis. Suffecerit dixisse, Accidentis illud esse, quod vel realiter, vel saltem intentionaliter potest adesse & abesse; & ita si adsit mors, intentionaliter non corrumpitur ille homo, quia manent prædicata essentialia hominis, nempe animal rationale, ita ut nec arguitivè corrumpantur, sicut arguitivè corrumpitur homo, si vel per intentionem dicas

illum non esse risibile. Videtur hæc explicatio ad mentem Porphyrii, qui dividens Accidentis in Separabile, & Inseparabile, cum ex altera parte docuisset, omne accidentis posse separari, mox subdit, potest enim intelligi corvus albus, & Æthiops abiciens colorem; Ubi vides, recurrit ille ad intelligibilitatem.

QUÆRITUR 3. Quotuplex sit Accidentis Primo-Intentionaliter? Aliud est Accidentis Physicum, quod est accidentis distinctum realiter à subiecto, idque vel separabile, uti est frigus respectu aëris; vel inseparabile, uti putatur respectu corvi nigredo. Aliud Accidentis est Metaphysicum, seu accidentis ex modo significandi. Hoc ipsum accidentis Metaphysicum; aliud est non necessario fluens ex essentiâ, qualis est ratio Patris, aliud necessario fluens, & hoc coincidit cum Proprio. Rursus Accidentis aliud est Prædicamentale, aliud Prædicabile; Prædicamentale est, quod est accidentis divisum ab Aristot. in reliqua novem prædicamenta distincta à Substantia; Prædicabile autem accidentis, est accidentis secundo-intentionaliter acceptum, de quo mox.

De Accidenti Secundo-Intentionaliter.

QUÆRITUR 1. Quid sit Accidentis Secundo-Intentionaliter?

RESPONDETUR. Est universale, quod prædicatur de pluribus, in Quale Accidentale contingenter.

QUÆRITUR 2. Quid est hoc prædicari in Quale contingenter?

RESPONDETUR. Quale non est hic sumendum pro Quali ex solo prædicamento Qualitatis, sed debet sumi liberalius pro omni eo cui opponitur Quiditas rei, & necessario cum illa connexa; hæc enim prædicatio: Petrus est tricubitalis, est prædicatio in Quale Accidentale, quantumvis tricubitalitas sit Quantitas, non Qualitas.

QUÆRITUR 3. De quo universaliter prædicatur Accidentis ut Accidentis?

RESPONDETUR. Indubiè accidentis de rufo, albo, nigro, &c. prædicatur ut genus, consequenter non prædicatione accidentis; prædicatur enim in Quid incompletè partem materialem significando. Albedo item, de hoc, & de hoc albo, prædicatur ut species, quia prædicatur in Quid tanquam tota rei essentiâ. Prædicatur ergo Accidentis ut Accidentis, de concretis ex subiecto, & illo accidente; ut cum dico Papyrus est alba, nix alba, linum album. Ratio. Quia respectu horum ita illud accidentis est universale, ut simul de illis in Quale omnino contingenter dicatur; hæc autem prædicatio est genuina quinti universalis.

DISPU.